Digitized by Google

Opere, ed Autori di questo volume

Dopo del Frontispizio vi è l'Elenco delle Opere di Tristano Caracciolo

Indice delle Opere med.a pag. 161. ad 166.

Istoria d'Incerto Autore libri otto, la quale comincia dalla morte di Carlo II. d'Angio', e termina col Regno d'Alfonso I. d'Aragona a pag. prima ad 235.

Indice di d.a Istoria a pag. 237. ad 262.

Digitized by Google

TRISTANI CARACCIOLI

PATRICII NEAPOLITANI

OPUSCULA HISTORICA

Ab Clarissimo Viro Ludovico Antonio Muratorio tom. XXII. Rerum Ital. Script. primum luce donata

E MANUSCRIPTO CODICE

EXCELLENTISSIMI PRINCIPIS

TORELLÆ.

NUNC ITERUM EDITA.

EDITIO PRIMA NEAPOLITANA

Correctior & Emendatior.

NEAPOLI

TYPIS JOANNIS GRAVIER

MDCCLXIX.

Superiorum Facultate.

Digitized by Google

BIBLIOTECA
REGIA

Digitized by Google

ELENCHUS
OPUSCULORUM
TRISTANI
CARACCIOLI.

IN Triſtani Caraccioli Opuſcula Præfatio Ludovici Antonii Muratorii. *pag.1.*

JOannæ I. Reginæ Neapolis Vita, Auctore Triſtano Caracciolo. *pag.7.*

SErgiani Caraccioli Magni Seneſcalli Neapolis Vita, Auctore Triſtano Caracciolo. *pag.21.*

JOannis Baptiſtæ Spinelli Cariati Comitis Vita, Auctore Triſtano Caracciolo. *pag.46.*

DE varietate fortunæ, Auctore Triſtano Caracciolo. *pag.82.*

DE inquiſitione, Epiſtola Triſtani Caraccioli. *pag.121.*

GEnealogia Caroli Primi Regis Neapolis, Triſtani Caraccioli. *pag.134.*

DE Ferdinando, qui poſtea Rex Aragonum fuit, ejuſque poſteris, Triſtani Caraccioli. *pag.142.*

NObilitatis Neapolitanæ defenſo Triſtani Caraccioli. *pag.152.*

Digitized by Google


Digitized by Google

IN

TRISTANI CARACCIOLI OPUSCULA

PRÆFATIO

LUDOVICI ANTONII MURATORII.

MUltum, ut ſpero, habebit, unde ſibi placeat, Regia Civitas Neapolis, quod tot egregiis ſcriptoribus, quos ipſa peperit, cura nunc mea veniat adjungendus etiam Triſtanus Caracciolus. Qualis hic ſcriptor & Hiſtoricus fuerit, & quam dignus, qui maturius per eruditorum manus verſaretur, Opuſcula nonnulla prodent, quæ nunc primum Ego publicum in diem effero. Scilicet hominem ibi intueare prudentiæ ac ſapientiæ non vulgaris lineamenta ubique gerentem, atque in ejus ſtilo quamdam gravitatis ſpeciem ſentias, quæ ſimul erudiat atque delectet. Quod mirere, non a teneris annis, ſed virili tantum ætate ſe contulit Triſtanus ad literas excolendas, ut ipſe teſtatum reliquit. Sed pauca prius de ejus Vita ſunt delibanda. Prodiit ille Neapoli e præſtantiſſima Caracciolorum gente, cujus antiquitas, nobilitas, & clarorum virorum copia, me laudatore non indiget. Satis nempe, non dicam apud Italos, ſed & apud univerſos Europæ Populos nota ac celebrata, & in qua nuper vidimus uno tempore duos Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales ampliſſimos. Eſt autem ab

antiquo tempore gens iſta in duas lineas diviſa. Altera *de' Roſſi* nunc alit præclariſſimum virum Torellæ Principem, ejuſque patruum Patrem Euſtachium Clericum Regularem, quem ob ſingularem humanitatem, eximiaſque alias animi dotes ego in primis & veneror & diligo. Altera *del Leone* aut *Piſquitio* aut *Svizzero* agnomen ſortita, ea eſt, quæ circiter annum 1439. Triſtanum Caracciolum protulit. Ipſe vero auctor eſt, quo anno Alphonſus I. Aragonum & Siciliæ Rex Neapolim cepit, hoc eſt anno 1442. ſe puerulum vidiſſe tantam rerum mutationem, & aliquam ſervaſſe ſemper tanti ſpectaculi imaginem. Erat Triſtano anguſta domi ſupellex, tres fratres, plures ſorores. Johannes vero eorum pater, qui in Regia Camera Summariæ munere fungebatur, majori ſolicitudine cogitabat de paranda tot puellis dote, quæ tunc inter Nobiles ad mille ducentos Aureos aſcendebat, quam de maribus educandis. Propterea non arma, non equi præſto erant Triſtano, ut ſe ad ordinis equeſtris exercitationes conferret. Acceſſit & cura domeſticæ rei, ſublato patre, ac non leve onus conſulendi tot ſororibus, quas tandem omnes (& quidem ſeptem erant) tum ejus pater, tum ipſe honeſtiſſime collocarunt. Hinc imminutum patrimonium, & fratribus perſtrafum, ut ſub alieno cœlo fortunæ meliores ſublidia quærerent; e quibus unus Galliarum Regi militans, illuſtribus eſt functus muneribus; alter Epiſcopatu auctus; tertius tandem Regiæ Cameræ Præſes Neapoli conſtitutus fuit, teſte Toppio de Orig. Tribunal. Tom. 5. pag. 146. Porro domeſticæ hujuſmodi anguſtiæ etiam in cauſa fuere, cur Triſtanus ſerius quam optaſſent amici, ad uxorem ducendam ſe paſſus fuerit impelli. Hæc autem fuit Cicella Piſcicella, ab eo ætate jam virili ducta, quæ unam illi tantum feminam peperit, Liviam nomine, illuſtri poſtea viro nuptam. Vix falli me putem, ſi ejus maritum fidenter appellem Johannem Baptiſtam Spinellum Cariati Comitem, cujus Vitam Triſtanus ipſe conſcripſit, ego vero infra evulgabo. Quippe in ea legas ductam a Spinello *Liviam Caracciolam nobili genere, honeſtiſque parentibus natam*. Triſtanus vero Ferdinandum Spinelli filium ibi alloquens, *Nepotem* appellat. Interea Triſtanum aliquo jam otio fruentem invaſit, crevitque in dies vehemens diſcendi cupiditas, cui ut faceret ſatis, Hiſtorias legere cœpit. Ad majora etiam ſtudia, nobili viro in primis digna, eum hortabantur identidem amici docti, quibus ingenium hominis perſpectum erat. Verum dolebat Triſtanus, neglectam ſibi hactenus fuiſſe Grammaticam Latinam;

eum-

eumque tot annos natum, jamque maritum, immo & patrem, pudebat parem ſe pueris facere, & ludum literarium tam ſerò intrare. Sed vicit ſciendi cupido. Quamobrem ſe ſibi Magiſtrum ſtatuens, deſcribere cœpit libros de Grammatica tractantes, & memoriæ commendare quæcumque rudimenta ac præcepta pueris in ſchola traduntur. Tum aggreſſus explicare veteres Scriptores, ubi aqua ſibi hærebat, eruditos viros conſulere in more habuit: atque hac ratione, ſimulque experiendo vires ſuas in ſcribendo, eam ſibi Linguæ Latinæ peritiam comparavit, quam in ejus Opuſculis ſi non ſuſpicias, certe ames. Immaturo deinde fato priore uxore ſibi rapta, alteram duxit, e qua mares quatuor, totidemque feminas ſuſcepit. Duos e maribus, magnæ ſpei adoleſcentes, unus idemque menſis ſubſtulit: utrique pater ingenti dolore, ſed pari etiam conſtantia parentavit. Primogenito deinde, quem ægritudo contracta claudicare coegerat, uxorem quæſivit e Caracciola gente, nullo affinitatis vinculo nuptias haſce impediente. An is ſtirpem ſuam propagarit, mihi incompertum eſt. Triſtanus vero jam in ſenium inclinans, publicis muneribus valedicens, reliquum vitæ in otio erudito tranſegit: quo tempore potiſſimum ad Opuſcula, quæ ſuperſunt, conſcribenda ſe contulit. Annum, quo vivere deſiit Triſtanus, nulla adhuc monumenta mihi prodidere. Exploratum tamen habeo, ipſum ad annum ſaltem 1517. vitam produxiſſe, quum in laudata nuper Spinelli Vita deſcribat navigationem pœne temerariam Caroli V. tunc Regis, poſtea inclyti Imperatoris, e Belgio in Hiſpaniam.

Supereſt, ut quæ nunc publici juris facienda mihi ſunt, Triſtani Caraccioli Opuſcula recenſeam, ſi tamen prius profeſſus fuero, cui ego hæc ipſa debeam. Is fuit Conſtantinus Grimaldus, Regius Neapoli Conſiliarius, cujus nomen jamdiu in Literatorum Republica ſonat, tum e Philoſophica, tum e Theologica eruditione, quique Juriſprudentiæ ſuæ fructus etiam ſperate nos facit. Eo quippe curante deſcripta fuere, & ad me miſſa, quæ nunc accepturus eſt Lector. Sunt autem Vita Johannæ I. Reginæ Apuliæ. Vita Serzanis Caraccioli Magni Seneſchalli. Johannis Baptiſtæ Spinelli Cariati Comitis Vita ad Ferdinandum illius filium. De varietate fortunæ. De Inquiſitione Epiſtola. Genealogia Caroli I. Siciliæ Regis. De Ferdinando, qui poſtea Rex Aragonum fuit, ejuſque Genealogia. Nobilitatis Neapolitanæ defenſio ad Legatum Reipublicæ Venetæ. Atque hæc hauſta fue-

Digitized by Google

re e Codice MSto, quem adſervat Princeps Torellæ, mihi ſupra laudatus. Verum non heic conſtitit Triſtani calamus atque induſtria. Sunt & alia illius Opuſcula, quæ ſive quod extra inſtitutum meum viſa aliis fuere, ſive quod jam tœdium e Collectione tantæ molis Lectoribus tandem ego pertimuerim, expoſcendi minime cenſui. Horum ſyllabum ſubjiciam. Diſceptatio quædam priſcorum cum junioribus de moribus ſuorum temporum. Oratio ad Alphonſum juniorem. De inconſtantia. De cujuſque vanitate in loquendo. Epiſtola de ſtatu Civitatis Neapolis. Plura bene vivendi præcepta ad filium. De funere Ferdinandi I. Epiſtola. De Vita Auctoris pauca quædam. Joviani Pontani Vita brevis. Didonis Reginæ Vita. Penelopes caſtitas, & perſeverantia. Quid ſit in tot variis artibus junioribus amplectendum. Opuſculum ad Marchionem Atellæ. De ſororis obitu. De concordia, & de jucundo conjugio. Ordo ſervandus a militibus Hieroſolymitanis in electione magni Militiæ Magiſtri. Atque hactenus lucubrationes Triſtani, quas ego norim. Ceterum quum accedet Lector ad illas, quibus locum inter haſce veterum Hiſtorias feci, nonnulla deprehendet, quæ aut manifeſte correctore indigeant, aut dubiæ ſaltem lectionis videantur. Optandus certe nobis erat Codex emendatior; verum clariſſimus ipſe Grimaldus, cui donum hoc acceptum refero, nulli hac in re diligentiæ pepercit, & conquiſitis aliis Codicibus, nihil tamen melius invenit, quo Codici Principis Torellæ alicubi tenebras offerenti ſubſidium præberetur. Quare tum ille, tum ego conjecturis minime audacibus, quæ licuit, emendavimus, reliqua Lectorum judicio dimiſimus. Erunt etiam, qui Johannæ I. Reginæ Apologiam a Triſtano contextam legentes, e veſtigio ad memoriam revocantes, quot & quantis probris fœdata jaceat illius memoria apud tot Hiſtoricos, in hac ipſa Collectione omnium oculis expolitos, mirabuntur ingenium hominis, qui Aethiopem, ut ita dicam, dealbandum ſuſceperit, & ſupinæ aſſentationis vitio laboret. Equidem fateor, & mihi id primo viſum. Attamen quum Triſtanus minime inficias eat, quin detestandum facinus inlatæ mortis Andreæ marito, conſentiente Regina, patratum fuerit, illudque excuſet tantummodo, non autem neget: cetera crimina Reginæ objecta, ea fortaſſe ſunt, quæ dilui ex parte poſſint, aut certe non continuo omnia credenda. Quicumque enim pro Ludovico Hungariæ Rege, a quo Regnum ei pœne ereptum fuit, contra illam ſtetere; quicumque etiam Carolo III., qui ipſam Regno & vita ſpoliavit, ejuſque

Suc-

Digitized by Google

Succeſſoribus adhæſere, facile in illius ignominiam multa confinxere, aut in ſiniſtram partem quævis illius acta ſunt interpetrati. Profecto a Johanna I. tamdiu ante jugulata, & nunquam ſibi viſa, & quæ nullos reliquerat poſt ſe filios, nihil Triſtano ſperandum erat, ut in adulatorias artes pro illa raperetur. Utcumque tamen Opuſculum iſtud excipere velis, hercle in reliquis ſenties Scriptorem gravitate ſumma, & non vulgari prudentia præditum, ita ut non minus voluptatis, quam fructus ex ejus lectione ſis percepturus. Unum denique addam, quod Neapolitani eruditi minime ignorant, ſcilicet ſupereſſe alterius Caraccioli, & quidem antiquioris, Hiſtoriam brevem Manuſcriptam de rebus Neapolitanis. In Codice illo Auctor ſe ſe ita inſcribit: *Bartholomeo Caracciolo dicto Carrafa Cavaliere de Neapoli*. Vaſſallum inſuper ſe ſe appellat Ludovici Regis, cui uxor erat Johanna. Itaque ille ſcripſerit circiter Annum Chriſti 1358. Iſtius mentionem habes apud Philibertum Campanile in Libro de Stemmatibus Nobilium Neapolitanorum, qui tamen Hiſtoriam ab eo conſcriptam ignoraſſe videtur. Inquit enim, ejus tumulum conſpici Neapoli in Sacello Comitum Policaſtri cum hac Epigraphe:

HIC REQUIESCIT CORPUS
DOMINI BARTOLOMEI CARACCIOLI
DICTI CARRAFÆ DE NEAPOLI MILITIS
MAGNÆ REGIS REGINALISQUE CURIÆ
MAGNI RATIONALIS
QUI OBIIT ANN. DOM. MCCCLXII.

Campanilis nuper memorati ſententia fuit, eamdem cum Caracciola gente fuiſſe Caraſam; & quamquam id neget Aldemarius de Famil. Neapolitan., plura tamen ſunt, quæ & me in Campanilis opinionem inclinent. Si quando Hiſtoria hæc ad manus meas deferetur, ut ſpero, eamque luce dignam reputem, de illo agendi tunc erit locus.

JO-

Digitized by Google

Digitized by Google

JOANNÆ I.

REGINÆ NEAPOLIS

VITA

AUCTORE

TRISTANO

CARACCIOLO.

CRedo equidem de humana ſocietate tunc bene mereri, eum quis innoxios ab injuria contumeliiſque pro viribus aſſerere conatur, & præcipue invalidos, & qui per ſe id efficere nequeunt, quorum primi vita functi merito cenſentur. Quod beneficium quanto majori perſonæ exhibetur, tanto honeſtius, quando nec ambitioni, neque adulationi inſerviri cognoſcitur; & illuſtrius, cum magnitudinem nominis conviciis involuti extricando, falſo id contigiſſe palam fiet. Nuper ego in Joannis Boccacii Librum cum forte inciderim, quem in Mulierum illuſtrium memoriam eloquentiſſimus ille præcipue vernacula lingua ediderat, offendi ultimam illarum Joannam Reginam, cognomento Primam, cui profecto non ob merita, aut quod inferior aliis extiterit, eum locum tribuit, ſed potius temporum ordini intendens, aut quod magis arbitror, ut qui illam noviſſimam legerent, Regalem illius Vitam fidelius tenaciuſque memoria ſervarent: multum præterea admirari coegit, ex quo noverim, qualis Regina ipſa fuerit, & quam diverſus vulgaris & falſus de ea rumor per ſucceſſionem traditus, nullo auctore, aut monumento fultus, ad nos uſque pervenerit. Miſe-

rear

rear autem, arrideam potius pleroſque Scriptores nominis & famæ ſtudioſos, qui inquieti labores, ærumnas, & vitam pendant, ut per ora inſipientium, mendaciumque futili voce celebrentur: quod præſenti facto clare liquet; veras hujus Reginæ dotes a nemine recenſeri, probra vero & dedecora, etiam humillima ſemina indigna in eam vulgo quotidie jactari. Erit ergo operæ pretium, ſi bene laudabiliterque facta ejus ſparſim jacentia in unum colligam, ut iis munitus obviam ire pergam pervulgatæ tamdiu inſciorum maledicentiæ, ſperans, qui viderint legerintque, facile ab errore retrahi poſſe, & Reginam vitæ, & morum ſuorum reddere claritati. Etſi rem difficilem mihi promittere ſciam, tam inveteratam opinionem aboleri poſſe, præſertim cum graviſſime plerumque aliorum indecora facta audiantur, & quamquam inique, libentius tamen quam laudes, accipi ſolere videmus; juvabit tamen pro re honeſtiſſima laborare, etſi nec quemquam crederem, ſed profecto minime reor omnes adeo corrupti eſſe judicii, ut non exiſtant, qui malint abactis erroribus verum admittere, & bono alicujus nomine, quam infami vituperatione jactari. Magnæ profecto iniquitatis indicium erit, ſugillatione ejus gaudere, a quo nec læſus umquam fuerit, nec læſionem vereatur; ac piæ mentis eſt lætitia affici purgatione nominis, quod falſo crimine inquinatur. Nolo enim multa tam mendoſe de Regina relata recenſere, ne forte illis, qui nondum ea audierunt, novus auctor ſiniſtræ de illa opinionis fidem faciam; & forſan, quæ hactenus a maledicis objecta delituerunt, a me occulere fatagente iis innoteſcant: quoniam plerumque uſu devenire ſolet, ut cum turpe aliquid aut ſceleſtum auditur, minime perpenſo, verumne ſit, deferendi, aut defendendi animo dictum, libenter admittatur, & ad objiciendum quandoque reſervetur. His præteritis properemus deſtinata perſolvere, petita prius a Reginæ manibus venia, & a Lectore, ſi quid indignum ea Majeſtate, aut præſumptum, aut omiſſum ſit, aut ineleganter barbareque ſcriptum, quorum alterum minime iniquo animo factum eſt, cum veri amor ad id me traxerit. Alterum vero, qui me inſaniæ & præſumtionis damnare potuiſſent, dabunt officio erga defunctam caritatis veniam, etiam cum reprehenſionis diſcrimine; & cum longe a facto diſtem, erit ſatis, quæ ab aliis acceperim recenſere, & me a falſo abſtinere.

Nata eſt Joanna a Carolo inclyti Roberti Regis filio, & Calabriæ Duce (quæ prærogativa eſt in Regno ſucceſſuri), & Matilda San-

Sancti Pauli Comitis filia. Seriem mortalium non longius quam a Carolo, qui primus e Francorum gente Apuliæ, seu mavis Siciliæ huic nostræ imperavit, ducam. Nec ad Dardanum ascendam, ut aliqui ambitiose in Francorum Regum gratiam. Carolus igitur Ludovici Sancti Galliæ Regis germanus cum operam se suisque dignam in hostes Ecclesiæ, pro illius quiete & auctoritate navasset, eamque devicto & occiso Manfredo metu liberasset, qui invita Ecclesia Regnum usurpabat, & eumdem finem Conradino, qui ad ulciscendum Patruum, & Regnum sibi occupandum venerat, dedisset; pro quibus ut gratam se Ecclesia præstaret, Regnum Siciliæ certis conditionibus illi concessit, quod legitima successione ad Joannam, de qua mentio sit, devenit. Siquidem ex Carolo hoc Primo Secundus nascitur, qui & ipse Robertum similiter Regem genuit, patrem Caroli Ducis Calabriæ, qui superstite Patre defunctus, Joannam, quam, ut dixi, ex Matilda susceperat, reliquit. Cujus indolem inspiciens sagax avus Robertus Rex, non defuit, ut bonus Artifex providusque Princeps, quod natura inchoasse videbatur, studio ac diligentia perficere. Itaque Puellæ comites altricesque dedit, non modo ut mulierem bene honesteque instruere possent, sed ut optimam Reginam efficere valerent. Quippe aderant, qui fidei Christianæ monita illam avide discentem docerent; nec deerant ex senioribus Aulæ, Regisque amicis, qui majorum dicta factaque suggererent, ab Avo ad hoc dati Comites, ut præceptis & exemplis ad illos imitandos hortarentur; auctoritate vero & reverentia, tamquam senis Avi spectati amici, fidique, non modo re aut gestu Regi indecenti, sed verbis jocisque, cum opus esset, etiam castigantes averterent. Astante igitur Puella nil dici aut fieri, unde inhonestum aliquid sumi potuisset, permittebant; quæ attendens audiensque pro recta vivendi regula Puella sumebat, sic sine principibus feminis, sed castarum matronarum societati fisa est. Nonnumquam aderant & Moniales, quas Sanctimoniales nunc vocamus; eas ad hoc Rex, impetrata a Pontificibus venia, e Claustris evocaverat, ut essent, quæ divinis officiis Christianisque ceremoniis caste pureque Neptem instruerent, & ut fomitem illum malarum cogitationum, actuumque pessimorum, scilicet otium, evellerent & extinguerent. Cum salutantium officiis, principibusque matronis se subduceret, Magistras petebat, quæ illam Avum vestibus, & linteis induere monstrabant; & hujusmodi mille artes non ad servilem usum, aut quæstuarium, sed

Digitized by Google

ad honeſtas mentis manuſque occupationes impendere Regium ducebat. Et ſæpe ut victrix certaminis, quibus vicerat, opera videlicet aurea, ſerica, bambacina ſuis manibus elaborata, Sanctorum ſigillis, & præcipue Virginis Dei Matris Mariæ dedicabat. Nere, ac ſuere cum æqualibus Principum filiabus, quæ una educabantur, non dedignabatur, & ſuperaſſe juveniliter exultabat, minimeque in ſuo comitatu videre erat os fucatum, ceruſſa aut purpura, pigmentiſque aliis illitum, aut adulterinum crinem de mortuo alicujus cranio exemtum. Curabat Avus, Princeps ſagaciſſimus, poſtquam mente perceperat, fore illam dignam ſibi heredem, familiæ decus, & Regni columen, ut Proceres Regni ſcite admitteret, illoſque audiret, auditiſque reſpondere commode per ætatem poſſet. In tantum ſuis moribus & geſtis ſibi placebat Rex, ut ſæpe Oratores & Regum & Populorum, qui ad ſe venerant, ad Nepotem ſalutandam mitteret, tam ut illi auctoritatem daret, quam oſtenderet Legatis, deſtinaſſe omnino illius ſucceſſionem; & per illos noſceretur multis in Orbis Provinciis & Regnis, qualem Succeſſorem habiturus eſſet, quæ ſupra ætatem & ſexum ſaperet, & colloqueretur. Itaque candidi adoleſcentis mores, perſpicuumque ingenium, immaturam Caroli patris mortem tolerabiliorem minuſque doloroſam Avo Regi fuerant, cernenti ſuam ſupereſſe, cujus & prudentia, & animi vigore bene moderandi Regni certam ſpem præſumeret. Quare, nec temere, qui illam veſtire curarent, nec infimo genere, & illiberalibus moribus, ſed ſpectatos viros eſſe voluit, vitæque honeſtate probatos. Indumenta quidem Regalia illi, præcipue cum Aula prodiret, proprio avitoque more formata, nec quod ſubditi æmulari ad luxum poſſent, geſtare paſſus eſt. Et ut nihil ad formandam optimam Reginam in Nepte heredeque ſua deeſſet, honeſtum dedit famulitium, cui præeſſe voluit & auctoritatis & prudentiæ ſummæ virum, cui obtemperare deberent & Nobiles, & Procerum filii. Qui vero conventui aderant, præter ingenuos, nulli adſtabant. Is, qui manibus aquam daret, aut equeſtris ordinis erat, aut equeſtri majori; ſimiliter qui dapes inferrent, & prægustarent. Quin & poculatores ſummam diligentiæ fidem in ſuo officio ſervabant, ne veneficio aut maleficio puella lædi poſſet. Cœnantem eam Domus major attente obſervabat, ne Juvencula quid avidius manducaret, aut procacius poſceret; quorum ſi quid deprehendiſſet, minime coram, ne Regiam indolem obtunderet, arguebat, ſed ſecrete monebat, ne

quid

quid tale poſt hæc admitteret, utpote rem indecoram, & Avo Regi peringratam; cujus non iterum reprehendere opus erat, cum primo emendatam ſe oſtenderet. Inerat Avo maxima educationis cura, & cum pro moribus & gloria nil prætermitteret, ſalubritatis incolumitatiſque non minorem adhibebat diligentiam, quam peritiſſimis accerſitis Medicis demandaverat, quibus etiam impoſuerat, ut cœnanti, vel prandenti ſemper aſſiſterent, diligenterque caverent, ne quid illi apponeretur, male aut inſalubriter paratum, aut ſtructum ſordide; quin etiam munditiæ conſulerent; nihil inexploratum, ſed præguſtatum per miniſtrorum manus inferrent, ex quibus ea tantum ſumere, quæ & valetudini, & formæ conducere maxime cenſebant. Nec minor erat potus cenſura, parſimoniæ victus. Et modeſtiæ, cui tenella aſſueverat, non parum addidit jam adulta.

Plurimum autem jam reſpondebat Regina curæ, & deſiderio Regis de ſe habitis, adeo ut præ gaudio ille ſe minime continere valeret, quin enarrare non inhoneſtum, ſed glorioſum ſibi duceret egregios Neptis mores in conventu Procerum, & Oratorum; & laudum præcipua erat aſſiduitas, obſervantia, quam circa ſe ipſum in mandatis monitiſque præſtabat, uſqueadeo ut cum juvenis, & femina eſſet, ætatis ſexuſque lubricitate circumplexa, nihil jucundum eſſet, niſi cum Avo rem gratam feciſſet. Cujus rei argumentum hinc maximum ſumi poteſt, quando illi obedire ne mortuo quidem recuſavit. Caverat enim Rex moriens teſtamento, Andreæ Ludovici Pannoniæ Regis fratri matrimonio illam jungi, ipſius Roberti ex fratre Abnepoti; ſiquidem Caroli ejus germani Hungariæ Regis nepos ex filio item Carolo fuerat, ex ornatiſſima Francorum Regum ſobole, quæ etiam ſi quid Gallicani adduxerat moris, apud nos exuerat; Andreas vero barbaricos mores feritatemque Pannonicam penitus imbiberat, quam & Cœlum, & educatio ſuggeſſerant, prævaluerantque modeſtiæ & humanitati majorum. Quippe, ut unico documento deſcribam, ex Chriſtianiſſimo non tantum nomine, ſed vita magis, Carolo Secundo Rege originem ducebat, qui modeſtia, humanitate, pietate, ceteriſque virtutibus inter Chriſtianos fuit excellentiſſimus. Puderet profecto me aliquid de Rege ipſo indignum loqui, cui & ſi non maleactæ vitæ, perſonæ tamen & generi deferendum erat; ſed quoniam ad Reginæ famam, quam tueri decrevimus, facit, qualem Franciſcus Petrarcha, Vir inſignis, & par tempeſtatis illius, deplorans Regni infelicitatem ad Joannem Columnam

Digitized by Google

ſcribit : *In Roberti Regis Solio , qui unicum ætatis ſuæ decus exſtiterat , æternum dedecus Andreas iſte nunc ſedet .* Hæc dicta in argumentum obſequii Reginæ, quæ præelegit teſtamento Avi parere , quam vera de Andreæ moribus deferentes auſcultare , & ſe tot diſcriminibus & periculis ſubtrahere , quibus ſtultorum impiorumque uxores ſubjacent . Suſcepit ergo avita Regna poſt illius mortem , non modo citra tumultum & bellum , ſed ingenti Procerum Populorumque lætitia , qui eam non ſecus ac filiam amplexati & perſequuti ſunt . Quin & Italiæ Principes Populique Oratores ad eam miſerunt , qui eorum nomine de Avi morte conſolarentur , deque Regni adeptione , cum læti gaudenteſque regnare tanti Regis neptem audierint, illam certiorem facerent ; pro illius ſtatu & augumento vires ſuas paratas promtaſque habere , atque illis oblata opportunitate pro ſuis uti vellet , orarent. Interim ſumma prudentia ſuam rem Regnumque ſtabilire adorta , nihil antiquius duxit , quam Sedem Apoſtolicam ſibi benevolam reddere , & officiis obſequioque demereri . Et ne defectu amicorum , deſpectui & contemtui eſſet , etiam viro , tamquam femina ſola , mox ex gentilibus propinquiſque ſpectatos viros , ex eodem , quo ipſa , oriundos Rege , præmiis & honoribus prius donatos adſcivit ; & brevi quæ inde deſpicabilis habebatur , formidabilem ſe reddidit , tot tantiſque ſtrenuis peritiſque viris ſtipata, quibus in omni rerum adminiſtratione frequenter uti ſtatuit . Itaque ex illis neminem abrogavit , aut re aliqua diminuit , in tot Provinciis , ac tam variis nationibus (quippe non ſolum Regno, ſed & Narbonenſi Provinciæ , Maſſiliæ , & Avenioni , egregiis Civitatibus , moderabatur , & velut Avorum apponi tabulis ſolitum, Pedimontem , & Folcalquerium poſſidebat , quas ſingulas per Magiſtratus juſtitia integritateque inſignes , qui mores & linguas ſibi commiſſorum probe callebant , regebat) adeo bene rei conſultum eſt , ut quiete otioſeque degerent omnes , & ab injuria ſe fineſque tuerentur , etſi ingentium virium accolas haberent . Hæc tam prudenter ordinata , firma manſere in adventum Andreæ conjugis ; ac aliquantis poſt diebus fortuna exercere eam ad mortem uſque cœpit , cui primum feritatem barbariemque objecit . Etenim magnos ejusdem gentis viros , quos Regina in ſui præſidium, & pudicitiæ famam ad ſe attraxerat , Aula exigere conabatur , ſperans , tam fidis neceſſariis nudata uxore , illa Regnoque ſuis abuti moribus . Quod cum Dyrrachii Dux , ejuſque filii hac de re , & de pejori in ſuſpicionem veniſſent , e medio illum tollere curaverunt .

runt. Quinimmo curaſſent idem de Regina, & de ſe . . . . . futurum cauſabuntur brevi immenſe procurato jam eorum exilio, & inſtanter.

Interemtus eſt Andreas Averſæ anno ſalutis 1345. & ſepultus Neapoli in Eccleſia S. Ludovici contigua Æui maximæ, cura & expenſis Urſuli Minutili Equitis & Canonici Neapolitani. Turbatis igitur Andreæ vita, & morte rebus, Regina noſcens, Ludovicum Hungariæ Regem occiſi germani ad ulciſcendum mortem ſe accingere, & Regnicolarum partem metu adventantis Ludovici, partem novarum rerum cupiditate a ſe defecturos, Oratores ad Ludovicum, qui illam facinoris purgarent, eique cauſam enarrarent, deſtinavit; quos minime admiſit, ſed abire juſſit, ſeque mox effecturum, ut ab ea non facti rationem, ſed debitas pœnas exigeret. Sciebat etiam, Pontificem Hungaro favere, adventumque illius, & benedictionibus, & ſumtibus procurare. Quare ne vidua infamiæ & maledicentiæ ſe objiceret, & multorum Principum, qui illam conjugio expoſcebant, repulſa odium incurreret, in ſeque irritaret, jungere ſe Ludovico Principi Tarentino patrueli, a quo ſe tutam præſtaret, viſum eſt. Sed poſtquam adventantis hoſtis viribus ſe impares agnoverunt, ne Reges periclitarentur, Regnumque direptionibus vaſtaretur & cædibus, illud ad tempus relinquere decreverunt. Accerſitis a Maſſilia triremibus, in Provinciam una cum viro ſeceſſit, cavens prius, ne adventanti Hungarorum Regi quiſquam ſe opponeret, & Civitas nulla foret, quæ illi portas clauderet, aut obſideri ſe permitteret. Denique ut Regnum omne in unius dominio perſtaret, idem Arcium Præfectos ſervare juſſit, neminemque detrimento aut injuria occaſione ſui afficere voluit, ut rediens (quod maxime ſperabat) Regnum non modo non laceratum deſpoliatumque offenderet, ſed ne deterius quidem, quam reliquerat, efficeret. Brevi poſt eorum abitum Ludovicus Rex adfuit cum ingenti Hungarorum exercitu, neminemque, qui ſibi obviaret, invenit. Averſam tandem pervenit, nullo nec audito, nec viſo hoſte, cujus etiam, ut ceterarum Civitatum, portæ patuere. Dyrrachii Ducem, reliquoſque, qui Reginam minime ſequi voluerunt, cum obviam Regi officii cauſa proceſſiſſent, pariter cepit; moxque Ducem ſecuri percuti juſſit, eodem, quo Andream germanum pependiſſe noverat, loco. Reliquos arctiſſime vinctos in carcere habuit, donec in Hungariam ſimiliter mitteret. Quo & miſiſſe etiam ferunt puerum, Carolum nomine,

Digitized by Google

ne, quem Joanna ex Andrea conceperat, & poſt illius necem peperat, ubi citiſſime moritur. Eò quoniam ſunt, qui Reginam numquam peperiſſe autumant, operæ pretium erit edere diem puerperii, quemadmodum apud quemdam, æqualem fere temporum illorum ſcripta, quæ ut brevia ſunt, ſic vera exiſtimo, inveni, cujus verba talia ſunt. *Ex dictis Andreæ, vocato Rege, & Joanna Regina unicus filius, vocatus Carolus Martellus natus eſt poſt mortem patris die Natalis Domini, & mortuus eſt ſine herede.* Idem Auctor alibi dixerat, occiſum Andream menſe Septembris, & Patruum miſiſſe puerum Carolum in Hungariam, ibique parum vixiſſe.

Averſa movens Ludovicus Neapolim adiit, Arcemque, utī Regina diſcedens mandaverat, incunctanter Præfectus illi tradidit. Regina autem ex quo Maſſiliam applicuit, nihil antiquius habuit, quam Pontifici Maximo, tunc Avenione degenti, reliquiſque Chriſtianæ Religionis Patribus ſe purgare: quod profecto arduum laborioſumque extitit, tum ob receptam peſſimam de illa famam, tum ob præteriti Pontificis in eam odium, atque Regis Hungari favorem. Et non parum illi oberat, deſpicabilem eam fore, quod Regno ejectam exulemque viderent ſubſidium mendicare. Hos tot tantoſque robuſtos obices diligentia, & morum vitæque probitate perfregit. Adeo enim apud Romanam Sedem inſontem ſe probavit, ut Pontifex Hungariæ Regi ſub cenſuris mandaverit Siciliæ Regno abire ſtatim, illudque Joannæ & Ludovico ejus viro, quibus Eccleſiæ conceſſio adſtipulabatur, libere poſſidendum relinqueret. Poſt cujus diſceſſum Joannam cum viro Ludovico Neapolim per Apoſtolicum Legatum coronandam remiſit, ubi ingenti Procerum, Populorumque, præcipue Neapolis, gaudio & frequenti multitudine, præſertim in ipſa coronationis pompa & celebritate, coronam illi impoſuit Clementis Papæ Sexti Legatus, loco, ubi rei monumentum extat, Eccleſia Spineæ Coronæ, cui adhærent ædes amplæ Regiæque, tunc Principum habitationi conſtructæ. Hæc ſalutis anno 1350. acta ſunt. Magna dehinc prudentia, animique vigore Regnum tot malis turbinibuſque labefactatum inſtaurare adorta, extinctis latronibus & ſicariis, ut in priſtinam quietem reformaret, id brevi effecit: facinus ferme magnum & glorioſum, quod non modo feminæ Reginæ, ſed Roberto Avo Regi arduum & difficile extitiſſet. Nec minori animi clementia, vigore, & munificentia Joanna uſa eſt erga eos, qui in ſe deliquerant, hoſtiſque ſui legatos aut par-

Digitized by Google

participes cognoverant, quorum neminem aut injuriis, aut detrimento affecit; quin potius non modo indemnes dimisit, sed honoribus aut donis auxit. Qui vero adversam ejus fortunam doluerant, aut sequuti fuerant, præmia ampla, amissisque bonis ampliores compensationes acceperunt; redierat enim injuriarum oblita, beneficiorum maxime memor. Satis mirari profecto nequeo, unde emanaverit, Reginam multorum civium nostrorum odio laborasse, cum liquidissime constet, neminem ante se Principum liberalius benigniusque nobiscum egisse. Et si extiterint, qui singulares aliquos ampliore censu ditaverint, nemo tamen multiplicitate salariorum eam æquavit. Verum erat moderata, ut pluribus sufficere posset; præfinita enim erat summa, quam accepturus esset auratus eques, & aliquanto ea minor, quam eques minime auro insignitus. Magnitudinem ejus, quod in hac magnificentia erogabatur, suppudet referre, ne forte redarguerer, quod fiscus nequaquam sufficiens videretur, ingruentibus necessariis tot aliis expensis. Civitatem hanc frequentiorem non alias, quam sub ipsa Regina, accepimus; mercantium navium accessus numquam crebriores, quam in sua ditione & fide. Felicitatis Regni affectio & cura Dominæ erant instrumenta. Creverat enim maxime populus porro ea multitudine, ut pœne ædes ad habitandum delicerent. Annonæ ubique ad ubertatem, & commercii magna utilitas, quia summa securitate & otio fruebantur subditi.

Sed hæc tot bona non permisit diu permanere, quidquid illud fuerit, humana prudentia majus, invidens felicitati Regni, ne tantis commodis gauderet, seu ingenitam inviolatamque virtutem exerceret, neve tranquillitate & otio hebescere vellet. Ecce adest mors Ludovici conjugis, nullis ex eo susceptis liberis; & Pontifex abalienatæ mentis signa, quæ prius ostenderat, facto molitur. In eam enim Populos commovere, hostesque inducere, modo hunc, modo illum, non desistebat, prout quemque efficaciorem credebat. Insultabant nimirum, quibus Andreæ mortis memoria adhuc gravis erat, cunctaque adversitates, quæ Reginæ accidebant, merito in Andreæ ultionem evenire objectabant. His cum premeretur angustiis, ne vidua impudentiæ famam a maledicis, & discrimen dominatus, sine viri præsidio contemptui & injuriarum opportunitati exposita, subire videretur, nubere ex amicorum consilio visum est, junxitque se Jacobo Aragonio Majoricarum Regis fratri, cum quo parum vixit. Remansit nihilo-

lominus in eodem fere ſtatu, quo ante Jacobi conjugium; orba ſcilicet & viro, & liberis; & jam belli exordia apparebant. Quippe Urbanus VI. Pontifex induxerat Carolum de Pace cognomine, Ludovici Dyrrachini filium, manu ingenti Hungarorum, & Pontificis exercitu comparatis, ad Reginam Regnumque perdendum. Quæ vidit, etiam a ſuis ſe non modo deſtitui, ſed etiam oppugnari. Nam Carolus hic ſecum in Aula adultus ab ipſa Regina eliminatus fuerat, pleroſque ex amicis, pertinentibuſque Reginæ priſtina conſuetudine, ab illa abduxerat, ſibique unierat. Quare ne ſine viro obviam ire hoſti poſſe temere crederetur, Othonem Brunſuich Imperatoria origine virum, & ea tempeſtate ducem exercitum proprio ære agentem, in maritum adſcivit, quem Regali titulo abſtinuiſſe maritali conditione ferunt, & tantum Tarenti Principatu fuiſſe contentum. Qui perluſtratis copiis, in unumque coactis viribus, hoſti nequaquam paribus, Carolum Regni finibus arcere minime eſt auſus. Qui Carolus ab Urbano Pontifice corona prius Romæ recepta, magno illius favore pervenit, ac Sulmonem, quæ pro Regina illi portas clauſerat, vi captam & ſevere direptam, primariis Civibus occiſis orbavit. Quo facinore reliquæ deterritæ, nulla ulterius exſtitit, quin portas ſubito aperierit, illumque pro Rege admiſerit. Interim Otho Neapolim ſe receperat, fretus Civium favore eam tutari, & hoſtem deſtruere poſſe. Intrat & ipſa Regina in Arce nova, viro ſuo præſens, & nihil, quod ad tutelam ſpectaſſet, omittens, ſed potius impigre omnia ſagaciterque exſequens, Reginæ & Ducis viribus fungebatur. Carolus vero cum Neapolim perveniſſet, verſantem reperit, ſimulque cum veteribus amicis non paucis, nec infimæ ſortis, deditionis conditiones agitare cœpit. Quod cum eſſet Reginæ viroque cognitum, viſum eſt prius certaminis eventum experiri. Itaque indicta pugna, militibus Populi magna ex parte ſtipatus, ad prœlium deſcendit, quod infeliciter ceſſit: quippe fuſus fugatuſque, in Montem Sancti Eraſmi Civitati imminentem aſcendens, cum paucis Otho ſe tutatus eſt. Populi autem, qui ſuperfuerant in Urbem vertentes, verſam jam a Carolo poſt victoriam invenerunt, quo ſimul & ipſi una cum aliis Carolum Regem acclamaverunt. Ita eodem momento militaris vis fracta, Neapolis amiſſa, & Regina obſeſſa eſt, ubi etiam plurimorum neceſſariorum penuria obſidionem conſtanter viriliterque pertulit, ad famis uſque patientiam; quantaque fuerit, hinc facillime dignoſcetur. Erat inter obſeſſos

ger-

germana ipſius Reginæ, quam in belli ſumtus Regina rogaverat, ut ſe, Regnumque commune pecunia juvaret, ſtipendii defectu periclitantem; pridem enim noverat illam pecunia pollere, quæ inticiari non erubuit. Tandem cum Reginæ res effractæ & deſperatæ eſſent, & cogente fame, auxilioque ceſſante, brevi in hoſtium manus deventura eſſet, tunc ſoror attulit vaſculum aureis millibus plenum, utque illis ad Regni protectionem uti vellet, rogavit. Cui Regina: *Habeat iſtos ſibi latro ille Carolus, cui tanta diligentia ſervaſti: nobis autem nunc utilior foret panis ſaccus, quam tua iſta pecunia, mox una nobiſcum ſcelerato Carolo in prædam ceſſura.* Expectato itaque Maſſilienſium ſubſidio, obſidioneque protracta, quamdiu per commeatus licuerat, tandem dolore coacta in poteſtatem hoſtis devenit, a quo primum materne habita eſt, ſperante allicere eam, ut non modo Regnum, quod jam poſſidebat, cederet, ſed etiam Provinciam, reliquaſque ipſius ditiones in ipſum cadere, & Arces tradere curaret. Quod nec blanditiis quidem, pollicitationibuſque, nec minis obtinere valuit: adeo obſirmatum in Carolum geſtabat odium. At cum Maſſilienſium claſſem ſero ſuppetias adferentem (poſt ſcilicet ipſius captivitatem) prope Urbem in anchoris conſiſtere cerneret, Carolus Reginam hortatus eſt, ut accitis Præfectis, Primoribuſque gentis, certiores illos redderet, ſe non captam, Regnove privatam, ſed ut matrem a piiſſimo filio detineri, ideoque decreviſſe Regnum, ac Provinciam, reliquaque ſua illi, ut filio bene de ſe merenti, condonare; quare placere, ut Provinciales in Caroli fidem jurent, ipſumque, ut filium in dominum reſumant. Quod Regina velle ſimulavit, cum longe ſecus animo cogitaret. Lætus itaque Carolus illos ſiſtere Reginæ, ſe abſente, permiſit. Quibus viſis, graviter eos tarditatis damnavit; non enim ſua in Maſſilienſes beneficia, neque illorum in ſe fidei ſacramentum id poſtulaſſe, quippe eorum ſpe ad obſcænorum victum obſidionem toleraſſet, & tandem illorum quoque defectu, ſeu malitia, ſeu negligentia, in fæviſſimi hoſtis devenit arbitrium. Proinde noſcant, Dominam modo ſuam, nunc ſervam illius latronis Caroli, non diu victuram. Itaque ſi quid priſtinæ apud illos fidei & ſacramenti, amoris ſeu caritatis remanſerit, enixe rogare, quin etiam mandare, ne umquam velint Caroli nomen admittere, ſciantque, ſi quid ſecus de ſucceſſione audierint, illud aut fraude ſuppoſitum, aut vi extortum, aut animo adulterinum, quod nec ſuæ mentis aliquando extiterit; ſed conſulta præmeditataque ſententia

Ludovicum Andegavenſem Ducem, & hujus Regni, nec non Provinciæ, reliquique ſui patrimonii, & injuriarum hæredem & vindicem relinquere, cujus fidei & obſervantiæ jurejurando ſeſe aſtringant, illique perpetuo fautores & comites in ſui ultione adſint. De ſe autem nihil eſſe quod ſperent, aut curent, niſi juſta exſolvere, & pro anima exorare. Iterum illos injuncta admonere ut ſervent, et ſi quid majeſtatis eſt, imperare. Hinc conflatum eſt incendium illud, quod perpetuo nos exuſſit, & hodie in primis viget, factionum ſcilicet Andegavenſium, & Dyrrachinorum, quod nec cum capitibus quidem extingui potuit; cum altera ad Aragoneos Principes declinaverit: alterius vero Francorum Princeps ſuſcitator exſtiterit. His acceptis Carolus jam non tantum corona, ſed poſſeſſione Rex, Joannæ in ſe animum, quem Maſſilienſibus aperuerat, noſcens, ſuum in illam illico oſtendit. Quippe in Muri Civitatis arcem deportari, ibique arctiſſime cuſtodiri juſſit, donec morte affecerit, de cujus genere varia fuit fama, conſtantior tamen, quod præfocata, vel eliſa fuerit. Oſſa Neapolim reportata, nullo exequiarum, neque ſepulcri honore, in Ædc Divæ Claræ, & ignoto loco ſita ſunt.

Induxere me aliqua de tanta Regina ſcribere, tum ſiniſtra & æque falſa de ea recepta opinio, tum etiam quod qui ejus meminerunt, pareſque temporum fuere, eamque res moderantem viderant, ſummis laudibus extulere. Verum quoniam nulli de Reginæ geſtis Commentarii, unde elici Hiſtoriæ ſeries poſſet, exſtant, ideo quæ narravimus, ſaltuatim & quaſi per ſaltus gradientes ſcripſimus. Hoc nimirum conſtare volumus, ſubnixi auctoritate eorum, qui verum ſcire potuerunt, Reginam omni labe & dedecore caruiſſe, & a cunctis citra odium invidiamque judicantibus culpæ omnis inſontem habitam. Cur autem Andreæ morti aſſenſerit, utpote rem judicatu difficilem, hactenus ignotum eſt. Multum tamen conjecturæ dant immanes illius mores, quem monſtrum appellare illuſtris Poeta & æque modeſtus Franciſcus Petrarcha æquum duxit. Timor enim affectuum potentiſſimus, & vitæ amor, ſæpe nos agere, quæ minime decreveramus, cogunt, quæ a multis perperam facta videntur. Erant inſuper in Aula tot magni viri gentiles & neceſſarii Reginæ, Dyrrachii ſimul Dux, Tarentinus Princeps, qui cum ſæpe una cum Regina noſcerent, & exitium potius præſtolarentur, quam timerent, inferre, quam accipere mortem maluerunt. Feſtinatas nimirum Tarentini Principis nuptias, quas multi improbant, neceſ-

Digitized by Google

ceſſarias verius, quam voluntarias juſtus arbiter exiſtimabit, recogitans, quemadmodum Viduæ, tot imminentibus malis, tantis undique territantibus minis ad tutandum ſe ſine viro, & Regali, & ſtrenuo perdifficile extitiſſet. Quod vero patrueli patris nupſerit, nolebat, tam generoſam familiam, quæ ſe Regnumque tutari poſſet, immerito abalienari. Si enim extero ſe junxiſſet, certum erat, illi hoſtem fore: quod recenti Andreæ exemplo liquebat, & hujuſmodi matrimonia propter æqualium raritatem, crebro a Regibus uſurpari ſine laſciviæ nota cernimus. Eamdem fuiſſe cauſam, cur quater nupſerit, ſcilicet ut ſemper legitimi viri præſidio uti poſſet, & pudicitiæ nomen retinere. Sciebat enim, quanta mala eſſent viduæ, & præcipue Reginæ, famæ, infamiæ maledictis expoſitæ. Has cauſas iterati toties conjugii extitiſſe reor, non autem maris deſiderium, nam coitus continentiſſimam legimus, & ſemper negotiis curiſque arduis exercitam. Prælibavimus igitur ejus Reginæ res, quam tantum a noſtra ætate diſtare cognoſcimus, & ſeriem ducere hiſtoriæ, quin plurimum mentiremur, impoſſibile erat. Quippe quam multa etiam ſparſim inventa collegiſſe non facile fuit. Quæ vero plures affirmant pro veris, vera nimirum tradi poſſunt. Conſtat enim, juſtitiæ, quæ Regum maxima eſſe debet, coluiſſe virtutem, adeo ut ne Patri quidem Carolo, qui adeo illius ſeverus extiterat cultor, ut in eodem loco agnum & lupum vivere citra *alterius injuriam compelleret, hac virtute cedere viſa ſit. Unde inſignis illius Juriſperiti Bartholomæi dictum recenſetur: ſe in Throno Regio integriorem juſtioremque Joanna ad ſuam uſque ætatem vidiſſe neminem.* Quæ ergo tantæ allutiæ illi objectari poterunt, quibus tam clarum nomen offuſcetur, quando quod ſuum eſt, & Regum perpauci præſtant, hæc tam exacte peregerit juſtitiæ munus, quo majus, & multitudini utilius nullum a Principe exhiberi poteſt? Munificentiæ, & liberalitatis partibus, ac juſtitiæ actibus hæc non modo feminas ſuperavit, ſed & facile Reges liberaliſſimos habitos, omne æs crebro largiendo exhauriens. Teſtis noſtra Civitas, quæ etſi aliquando pleroſque ditiores potentioreſque Nobiles habuerit, nunquam tamen pauciores egentes, quam illius tempore, habuit. Quippe cum fere omnes equeſtres cenſu honeſtare ſtatuiſſet, nequibat propterea principalium multos locupletare, cautiuſque viſa eſt omnem fere equeſtrem dignitatem ſervare, quam in paucis oſtentationem pompis ſuperfluam effundere; ideoque multa erant illius

ſalaria, potius quam ampla. Oſtendit etiam juſtitiam, humanitatemque Reginæ mercatorum ex variis partibus frequentia, tot tamque pretioſis mercibus ſe conferentium, quos humane habitos, benigneque exceptos tuto libereque ſua negotia exercere ea ætas vidit, ut tot bellorum exigentiis nemo unquam aut dono, aut mutuo tentatus ſit, aut coactus aliquid præſtare. Quod munus etiam hodie monumenta, quam libentiſſime ſub tali Principe advenæ confluxerint, frequenterque negotiati ſint, teſtantur. Quippe Gallorum Vicum celebri Civitatis loco videmus, ſimiliter & Celtiberorum, quos Catalanos vocant, magno Molo proximum; & inter duas Arces, Novam videlicet, & Ovi principalium Catena eſt, quam Genuenſium porticum hactenus appellamus, licet faciem & habitatores mutaverit. Florentinos honeſtas ſedes ſibi paraſſe perſpeximus juxta veterem Teloneum: vocatur hodie Liliorum angulus ob inſigne eorum ibi ſculptum. Profecto advenarum civiumque frequentia bonitatem Principum prudentiamque arguunt, publice ſaluti conſulentium, ſalubritatis & annonæ, ob paternam caritatem curam gerentium. Quanta fuerit ejuſdem caritas & reverentia parentis, etiam poſt adverſam ejus fortunam & mortem cognita eſt. Cum non pauci ex nobilitate viri, plures etiam non infimæ ſortis cives præelegerint, bonis neceſſitudinibuſque relictis, perpetuo exulare, reſpuentes Caroli Regis victoris veniam, qua neminem extorrem fieri, neque rebus exui promittebat. Forma eam ferunt fuiſſe majeſtatem præſeferente, quam magis augebat geſtis, & ſermonum morumque gravitate, adeo ut nemo eſſet, qui eam adiret, quin eloquentiam geſtuſque admirans, fateretur vigere in illa ſpiritus Avi Roberti, tam inclyti Regis: quam nihilominus tantis natalibus, tam accurata caſtaque educatione, tam ſanctis moribus, tam juſta providaque Regni adminiſtratione, tot publicis privatiſque beneficiis, tanta pauperum cura, immenſiſque pecuniarum erogatis cumulis prædictæ mortalium iniquitati minime obliſtere potuiſſe eventus patefecit. Variis & nominis & famæ diſcriminibus vivens laboravit, & indecenti crudelique fine defuncta eſt.

SER-

SERGIANI

CARACCIOLI

MAGNI SENESCALLI NEAPOLIS

VITA

AUCTORE

TRISTANO

CARACCIOLO.

QUamquam communem parentem Deum, neque nobis, neque noſtris bonis indigere novimus, quippe ab ipſo conditi ſumus atque ſervamur, tamen ejus numen veneraturi, abſque munere aliquo adire nefas ducimus, etſi minime propter indigentiam, ut nos tamen obnoxios beneficiorumque memores offeramus; ſperantes etiam munuſculo aliquo nos impreſſuros illi firmiorem noſtri, noſtræque commoditatis memoriam: quem morem in Reges, magnoſque viros traductum, eisdem ferme de cauſis ſervari cernimus. Quid enim ad Regnum Principumque augendam gazam, aut honeſtandum apparatum clientum, humillimorum amicorum munuſcula, ut puta, Accipiter, Pavo, Catella, Arborum poma, hortorumque olera, & hujuſmodi cetera conferre? Et tamen ſolent honeſte exhiberi, grateque accipi. Nam qui dat, deferre majori vult; qui vero accipit, ſit quamvis parum, honorari, magnique haberi maxime gaudet. Ergo cum laudabili & pœne naturali inſtituto, merito moveamur, juſtum quoque exiſtimavi, Sereniſſime Princeps, te poſtliminio revertentem, cui etſi

etsi prudentia & virtus etiam extorri victum tua claritate dignum suffecerint, & familiam nihilo inferiorem, aut minus cultam, quam cum tuis ineſſes fortunis, ſubminiſtraverint, aliquo dono, utrique noſtrum non indecenti, ſalutare; pecunia quippe non erit, quam tibi affatim ſagacitas ſtrenuitaſque præſtiterunt, præſtandamque promittunt. At mihi propter tua in me beneficia aliquam gratiam reddere cupienti, unum præcipue, quod & dantem ſtimul, & accipientem juvaret, perſpexiſſe videor, ut ſcilicet Avum tuum præclarum Principem tibi repræſentarem, cujus geſtis cognitis intelligeres profecto, pleraſque virtutum tuarum magnificas dotes ab illo, ſicut & Principatum, ad te deveniſſe; & ſi forte aliquid ad conſummationem tuæ laudis deeſſe videbitur, in avito exemplari, unde mutuari poſſis, invenies. Quod ſcias avidiſſime arreptum a me, qui porro ſimile debitum, quo teneri fateor, exſolvam. Quippe etſi præcipua tua domus in primis illi, memoriæque ejus, a quo plurimum & fortunarum & gloriæ ad ſe derivatum eſſe cognoſcit, obnoxia ſit; non tamen reliqua omnis gentilitas noſtra expers gratitudinis eſſe debet, per quem tot inſignes titulos, Magiſtratuumque nomina promeruit. Ut igitur & Serenitati tuæ, & officio in te meo ſtudeam ſatisfacere, quæ de tanto viro ſparſim jacentia, carptim colligere in unum potui, dicere ordiar. Atque utinam quemadmodum mens eſt & animus, illius exemplo te ornare, ita ingenium & facundia non deſint ad tanti Principis facta perconſenda. Me vero nihil eſt, quod dehortari queat, dum virum illum tibi ſuggeram qualicumque, vel etiam rudi ineruditoque ſermone. Juvat me interim non parum tantum Principem animo volvere, cujus nomen cum voluptate & accipio & reddo. Tu facias interea, quod facturum te auguror, & Atavum tuum, quantum ſors & temporum conditio obtulerit, imitari ſtudeas; quandoquidem hac, quæ te rectius ducat & ſtabiliat, tegulam prorſus nullam invenies. Aggrediar igitur, Deo bene juvante, veniam precatus; ea namque ſcripturus ſum, quæ nondum in hanc lucem edita venerunt, & quorum Commentarium nullum exſtat, ſed ea viritim ſparſimque per illius tempeſtatis homines, quorum perpauci, & forſan propter ſenium non adeo memoria valentes, ſupererant, colligere me oportuit. Si quid autem exciderit, aut non ad unguem relatum fuerit, infirmitati meæ imputabitur. Item ſi quæ ex induſtria tacuerim, a pleriſque, ut reor, deſiderata, nemo miretur; id enim volens feci. Siquidem hunc, quia merebatur, nominare conſtitui,

Digitized by Google

ſtitui, non autem quemquam damnare, aut pro nomine notare, abunde enim quiſque ſuum ſcelus & refert, & damnat.

Natus eſt ergo Neapoli Serzan (quod nomen, ut arbitror, Gallicanum eſt, & dominationis dignationiſque apud eam gentem præfert) ſub Carolo III. equeſtri nobilique Patre, Franciſco Caracciolo, aurato milite, Matre vero Iſabella, & ipſa quoque nobili e domo Sardone (*a*), in quam defeciſſe cognoſcitur, in regione Urbis Capuana, ædibus etſi non adeo amplis, avitis tamen & pervetuſtis, quæ ad hunc uſque diem in memoriam ortus tanti viri ollenduntur. Pueritiam honeſte ſub parentibus egit, rudimenta litterarum, Religioniſque Chriſtianæ initia didicit. Mox cum primum adoleſcentiam iniit, Aulæ Ladislai Regis, cui ferme cœvus erat, admotus eſt, ubi benigne admiſſus, & ob egregiam indolem, & quia Dyrrachinarum partium fautoribus pergratus extitit. Ab ipſo itaque Rege, purpuratiſque omnibus compleƈti, caruſque haberi cæpit. Ut vero laute honeſteque Regem ſeƈtari, illique inſervire, nec gravis eſſe poſſet (attriverant enim proxima inſeſta bella adeo veƈtigalia & reditus, ut Fiſcus non æque Regem ſeƈtantibus ſufficientes ſumtus præberet), Tyrellus patruus, Præſul Conſentinus ſubminiſtrabat. Quippe indolem nepotis ex fratre prænoſcens, volebat illam ſumtuum defeƈtu non evaneſcere. Cumque ætate, & promotionibus ad majora in dies creſceret, augebatur quoque in erogando Præſulis animus, qui adeo *dum vixit, in eum dapſilis fuit*, ut nec armis, nec equis, nec famulatu, vel quoquo militari, atque aulico ornamento, Alumnorum Regis aliquis ornatior appareret. Erat enim Serzan hujuſmodi rerum ad moroſitatem uſque ſtudioſus; incitabantque Patruum ad largiendum probi & caſti ipſius juvenis mores, ab omni prorſus luxu, intemperantiaque averſi. Nam quidquid indulgentia Patrui exhibebat, omne id ſua modeſtia & gratitudine in illius nomen, laudemque recidere curabat. Quem cum cerneret idem Præſul rebus bello, ac Regi opportunis eluceſcere, nihilque per inanem luxum effundere, ſua bene locata liberalitate maxime gaudebat. Adoleverat jam Rex, expeditioneſque, & bella per ſe moliebatur, in quibus Serzanis virtus progredi cœpit; nullis enim excurſionibus, & levibus certaminibus præſens ejus alacritas deerat, adeo ut Ducum, Præfectorumque nemo erat

(a) *Alii ſcribunt Sardorum, fort. Sandonum aut Pandonum.*

Digitized by Google

erat exiturus ad militare aliquod facinus patrandum, si modo viribus, aut consilio indigeret, qui illum secum ducere non peroptaret; idque sibi a Rege concedi ambitiose curaret. Unde sæpissime eveniebat, ut a Ducibus, atque militibus, ab aliqua in prælio navata opera revertentibus, & sua, & commilitonum bene facta recensentibus, Serzan in primis extolleretur. Erat propterea tum miræ promptitudinis, si locus in hostes conferre manus posciisset, tum consilii, si cautionem, præcipui tamen obsequii & observantiæ in Duces. Cumque se non segnem, nobilem, ac Regis alumnum, easque in se dotes, quæ plerumque superbiam & arrogantiam pariunt, intelligeret, neminem tamen ductorem, quamvis sibi his omnibus imparem, modo militia clarum, comitatus est unquam, cujus dicto non steterit, & jussa promte non fuerit executus, dictitans, a peritioribus, quam a nobiliorib.s malle se militiam discere.

His artibus eam sibi apud exercitum benevolentiam comparavit, eumque Regis favorem, ut promoveri ad ducendos ordines cunctorum judicio tempestivus atque idoneus videretur. Præficitur enim equitum turmæ, quo tempore ei Rex Catharinam Filingeriam junxit, eoque matrimonio Avellini Comes effectus est. Siquidem ad Catharinam Comitatus post germanorum mortem hæreditario jure devenerat. Nondum Rex pacato undique Regno potiebatur. Maria enim demortui Tarentini Principis uxor, fisa suo Tarento, totque aliis oppidis validissimis, ac multa militia, quam sibi vir comparaverat, Regi parere indignabatur. Eam Rex, antequam subsidia adventarent (nam fama erat, Andegavensium Ducem Regni æmulum sollicitasse) præoccupare festinat, ratus admoto prope Tarentum exercitu, & illa, & oppido se illico potiturum. Verum longe aliter evenit, aliumque adveniens rerum statum offendit, quippe Maria non modo ad propulsandam oppugnationem, ne repentina invaderetur, sed etiam ad diuturnam tolerandam obsidionem se præmuniverat. Inde cautius, tutiusque Regi visum est, illam sibi legitimo matrimonio adjungere, ut se tam perplexo ancipitique negotio extricaret, & hosti advenienti occasionem præcideret. Antequam tamen de conditionibus aliquid certi transigeretur, hoc accidit memorabile. Nam vir quidam genere & militia nobilis in medium processit; erat enim Campæ Dominus (oppidulum illud est Tarentini agri) compellans, si quis ipse in Regiis Castris, qui suæ virtutis, & partium justitiæ periculum facere vellet, id secum armis asserturus in singula-

gulare prodeat certamen; se enim pollicebatur pro virtute, ac suæ Dominæ jure tuendo ferro decernere. Atque ita definiit locum, præscriptúsque diem, quo congredi volenti se instructum offerret, tutumque ab omni ceterorum injuria per Principem suam fore; idemque per Regem licere postulat. Hoc audito Serzan Regem orat, ut cum ab ejus majestate in se multa extent beneficia, pluraque in dies speret assutura, unum tamen pro maximo placeat conferre sibi, ut bona ejus impetrata venia liceat cum Procuratore illo congredi; sperare se Regis auspicio, causæque bonitate pro Rege dignam educatione operam navaturum. Pergere eum Rex jubet, memorem & Patriæ, & ejus, apud quem educatus sit, & non dubitare, illum victorem reversurum: sumeret modo ex Aula quidquid sibi usui & ornamento necessarium putaret, equos arma, vestem. Respondit, Regia beneficentia sibi ad commodum atque splendorem jampridem suscepisse omnia: daret modo veniam per edictum, ut adversario suo invicem liceat sine aliquo insidiarum metu in certamen descendere: quo impetrato discessit. Statutis igitur die locoque, uterque suis armis equisque decenter instructus, animo spemque plenus certamini se se obtulit. Indicto igitur per tubas utrinque silentio, concitatis equis concurrunt, demissisque & infensis hastis se acriter impetunt; quibus confractis, & abjectis, strictisque gladiis, cominus rem agere contendunt, multisque gyris se ambientes, captare locum aliquem nudatum armis laborant, quo alter alterum confodere posset. Interea Serzan fortiter pugnans, hostis equum ex industria (quod jure belli permittebatur) gravi ictu prope oculum punctum, illum impulsu urgens vulnerat, quo dolore percitus, sublatis anterioribus pedibus se resupinans super Sessorem, in terram cadit; quem cum Serzan sub equo jacentem, implicitum, nec se explicare valentem cerneret, equo & ipse deliliit, adversariumque aggressus intento mucrone, os illi sinistra denudans jugulare curabat. Cum vero Baro ille se imparem, victumque cognosceret, sublata manu se se dedit, cui victor vitam concessit, insuperque illum ea libertate donavit, qua ante finitum certamen steterat, sibique nihil deberi, illaque in re obnoxium fore, imo fraterne secum versari, resque suas illius esse arbitrii; non enim sinceram suam gloriam fore, si alterum ignominia aut damno notaret; seque pollicitur futurum apud suum Regem perpetuo ejus protectorem. Exceptus cum applausu a commilitonibus, ovantique similis ad Regem deductus est, a quo Regia gravitate laudatus, gaudere

ſe, inquit, a Rege laudari; quamquam ſpem aliquam de ſe conceptam aliquo modo auxerit, ſed in poſterum non deſperare, obventuras occaſiones, quibus magnanimi Regis non paucam de ſe opinionem fruſtraturus minime ſit.

Compoſitis ergo rebus Tarentinis, pacataque Provincia per Mariæ Principis conjugium, nihilque inde novi expectans Rex, propere in Campaniam redit, tantiſperque moratus, donec miles reficeretur, ad arcendum hoſtem, ſineſque ſedandos accelerat. Nam conſtans fama erat, Ludovicum Andegavenſium Ducem valida cum manu appropinquare, quem Joannes Pontifex Maximus ad occupandum Regnum evocaverat. Cumque ad flumen, perlambens radicem montis, cui Arx, quæ dicitur Sicca, imminet, deveniſſet, interiori ripa caſtra locat. Interim militem continet ne Pontificium agrum infeſtet, cumque facile poſſet, ſua potius tutari velle, quam aliena invadere præſeferet. Eò mox Andegavenſis Ludovicus cum Pontificiis copiis advenit; qui cum penetrare in Regnum, qua ſpe venerat, per objectum oppoſitumque Regem non licuiſſet, exteriorem ripam e regione tenuit. Et poſtquam levibus præliis ſe invicem tentarunt, neceſſarium viſum eſt conferre ſigna, ac ſummam belli totis viribus experiri. Ceterum mos eſt Regi inituro prœlii diſcrimen, delectos habere ex omni exercitu paucos ſibi, ſpectatæ fidei & fortitudinis equites, timiditatis ignominiam maxime verentes, quibus ſua paludamenta, criſtatam inſignemque galeam, alioſque ſui corporis militares tribuat ornatus, ut nemo ſit, qui in medio conflictu, ſi quem ex equitibus ita Regalibus armis indutum viderit, non verum eſſe Regem putet. Hoc autem ideo fit a Rege ex induſtria ſimulanter, & inter dimidicandum variis in locis ſpectari pugnans, hortanſque poſſit, utque ſuis animum addat, hoſtibus vero terrorem incutiat; ſimul ut adverſis in rebus fruſtretur hoſtis, & cum ſimulacrum Regis confertim plurimi inſectantur, facultas illi evadendi, ſeque in tutum recipiendi adſit. Hoc autem bellicæ artis genus perpaucis iiſdem fidiſſimis committitur adeo diſſimulanter & tacite, ut commilitones ipſos æque ac hoſtes lateat. Ipſi vero, qui ſimulatis inſignibus Regem relaturi ſunt, ſeorſum diverſiſque ordinibus collocantur, ita tamen ut ſe quiſque ad hoc munus delectum putet. Itaque cum plures ſint, unus tamen, qui ſingulas vices curet, quique oculis hoſtium obverſetur, decernitur. Fides igitur & alacritas in bello Serzanis Comitis, multis experimentis Regi cognita, fecit, ut illi hæc res credi optime poſ-

posset, utpote qui & militem, & Ducem agere, & quid facto opus esset, bene nosset, atque exequi valeret. Sed accidit, quod prævisum erat, ut Rex inauspicatam pugnam iniret, & exercitus fusus fugatusque, castra capta forent, ipseque sua, alumnorumque virtute, ne caperetur, evaderet, Arcemque Siccam ad persugium peteret. Quo cum devenisset, prima luce Comes & ipse adfuit, præseferens infausti certaminis notas. Nam vestem illam Regiam, cæruleo colore, aureisque Liliorum floribus insperſam, qua se induerat, hosti distractam reliquerat, thoracem tantummodo, & hunc quidem pluribus ictibus perforatum, in papilionibus retulerat; girifalconem vero aureum, quem gestaverat, dum plures se Regem inde capere crederent, hostes discerpserant: quæ omnia perseveranti constantia ipse Comes pertulerat, cui os etiam, non vero vulnere, sanguine perfusum cernebatur.

Tot igitur hujus spectati viri experimentis Rex, & dum Regno æmulum exigeret, & post illum exactum, cum ad ulciscendos hostes (Pontificem scilicet, & Florentinos, fomites in se malorum) profectus esset, egregia ejus semper usus est opera. Etenim ad intercipiendam Urbem Romam, quæ abrogato Joanne Pontifice Regi se dabat, inter Principes missus est; deinceps & Etrusco bello, quod in Florentinos, præcipue ob eorum devotionem in Andegavensum familiam, gestum est, non cessavit Comes strenue, multisque se bene factis erigere, adeo ut cum Regi visum esset ob adversam valetudinem, exercitu oppidatim deducto a Roma, Neapolim ob natalis cœli salubritatem reverti, Comitem valido cum præsidio Tuderti imposuerit, cui demandatum est, ut caveret una cum ceteris Ducibus, ne quid Respublica, se absente, detrimenti pateretur: quod summa cura, diligentiaque præstitit. Rex tamen, sic volente Deo, vix Neapolim adveniens, eodem illo morbo in Arce nova Idibus Augusti moritur, non sine veneni suspicione, licet inconstanti rumore, maximo tamen Neapolitanorum luctu atque mœrore, ut nobis quoque nepotibus, tanti Regis desiderio haud multum longinquitas temporis mœstæ recordationis abstulerit, ejusque mors in dies nobis recentior efficiatur.

Successit Fratri Joanna cognomento Secunda, & quoniam vidua, liberorumque expers, contemtui haberi cœperat, & plerique qui pro Fratre Ladislao steterant, ad perpetuum Regni æmulum os obvertebant; operæ pretium visum est exercitum omnem ab Etruria revocare ad Regni tutelam. Venit igi-

tur cum credito ſibi milite Serzan Comes, etſi non parum mœrens morte ſui Principis, ſolers tamen conſtanſque obſequium ſucceſſori præſtiturus; tantoque in his præſtare nitebatur, quanto magis rerum ſtatus expoſcere videbatur. Inito igitur conſilio de ſtabilienda Regina, auctor ſententiæ fuit, ut omni ſtudio arteque ad Pontificis gratiam res perduceretur, non modo feminæ abſque viro & liberis, verum etiam maſculo Regi, omnique munimento vallato, ad hoc Neapolitanum Regnum in tranquillo detinendum, perneceſſario. Quam ſententiam tam veris argumentis vallavit, ut in eam a ceteris Proceribus atque Optimatibus itum ſit. Deliguntur ad Pontificem idonei ad rem peragendam Oratores, quos inter Laurentius ex Divi Auguſtini profeſſione vir, apud ætatis ſuæ Theologos eminens, quem Tricaricenſem Præſulem vidimus in Æde maxima ad Populum ſacra verba doctiſſime facientem; injunctumque his, ut omni ſtudio atque conatu Pontificem Reginæ benignum redderent. Hanc eſſe legationis ſummam; animadverterent quoque, per quos perfici poſſe ſperarent, non parcendo donis aut pollicitationibus, dummodo voti compotes reverterentur.

Erat jam Martinus Columna, dejecto Joanne, in Catholico Chriſtianorum Concilio non modo Cardinalium, ſed etiam aliorum Principum, præſide Imperatore, in Pontificem aſſumtus, revertentemque eum in Urbem adierunt, Reginæque nomine ſupplicitèr ſalutarunt, nuntiaveruntque, illam Sanctitati ſuæ perpetuum obſequium præſtituram; unde ſibi, Regnoque ſuo haud dubiam ſperaret felicitatem, freta illius benignitate, & officiis in poſterum præſtandis ejus Beatitudini, Apoſtolicæque Sedi. Quod autem Ladislaus Rex frater bellum geſſerat, non odio Sacræ Sedis Pontificiæ, neque aviditate propagandi fines Regni, ſuſceptum eſſe, ſed in Joannem Pontificem, omni vi nitentem eum de Regno ejicere in Ducis Andegavenſium gratiam. Etenim quod ita fuerit revera, brevi ipſam experimentis fore probaturam. Gratam ſibi Pontifex orationem, Reginæque mentem eſſe, reſpondit: ſe brevi Romam perventurum, ubi hæc omnia commodius tractari poterunt. Interim jubebat, Reginam bona ſpe, bonoque animo eſſe, modo pollicita incorrupta ſervet, conſtantique fide; ſic enim conditionibus non iniquis voti compotem futuram fore. Revertentes ergo Legati, expoſitis, quæ egerant, ingenti lætitia Reginam ipſam, quamvis non totam, opplevere. Quippe quantum ſpei præſenti ſtatu contentis addiderant, tantum-

tumdem novarum rerum ſtudioſis ademerant. Conſultare de his viſum eſt, quem potiſſimum ad tantum negotium delegarent; conſideratiſque omnibus, neminem aptiorem Serzano Comite invenerunt; florebat enim ætate atque peritia, qua non minus moderari fœdera, compoſitioneſque rerum domi foriſque curare poſſet, quam fortiter militem perinde ac ducem agere. Inerant illi præterea naturæ dotes, forma egregia virilis, auctoritas tanta, ut in privato etiam appareret. Has & propria gravitate atque modeſtia, omni libidini adverſa, majorem in modum honeſtaverat; quin & familiam, cujus ſtudioſiſſimus erat, etſi optime inſtitutam, elegantem quoque & nitidam habebat; reliquoque domus apparatu non minus ſplendido ſpectandoque utebatur: quæ omnia cum penes ſe domi haberet, accingenti ſibi ad legationis munus, non foris accerſenda fuere. Igitur omnibus hiſce inſtructus, ſic in primis Pontificem adiit, a quo humaniter benigneque habitus eſt: & quamvis multiplicibus occupationibus & curis ob novum Pontificatum, tantiſque implicitis rebus diſtractus eſſet; Pontifex tamen illum audire, & coram per ſe rem conferre non deſtitit, delectatus viri ingenio, a quo nihil non opportunum, ad remque ſpectans audiret, nihil ſcurrile aut minus grave interſerentis, ſed quæ fidem ſinceritatemque præſeferrent. Unde brevi inter eos conventum eſt, ut ipſa Regina Arcem Sancti Angeli, & Oſtia Tyberina, Urbemque Veterem, & quæ oppida Ladislaus deceſſori Pontifici Joanni ademerat, & adhuc illius præſidiis tenerentur, Sedi Apoſtolicæ, & ipſius Martini Præſidi ſtatim tradi curaret; quin & cenſum annuum a priſcis Pontificibus Regno injunctum quotannis ad præſtitutam diem fideliter penderet; & ſi quando Eccleſia indigeret, ſuo ipſa ære juxta Regni vires militem, ſive terra, ſive mari, ad illius ſubſidium compararet. Reſtitutio, quæ præſens fieri poterat, illico per Comitem facta eſt, Arcis ſcilicet, Oſtiæque, & reliquorum Romæ adjacentium. Præfecti enim ſtatim, viſis ſignis, quæ Comes ipſe oſtenderat, omnia reddidere. Hæc autem coram, reliqua vero, quæ dilationculis indigebant, præſenti jurejurando firmata ſunt. Fuerat enim conditionibus cautum, ut his ſervatis Pontifex e Cardinalibus unum e Latere delegaret, qui in Regnum proficiſceretur, & collationis confirmationiſque Regni diplomata ac bullas Reginæ deferret, Corona inſuper & ſceptro, reliquiſque, ut moris eſt, inſignibus illam exornaret, Populoſque etiam & Proceres in verba, & fidem, ſalutemque Reginæ jurare cohortaretur.

Hæc

Hæc diligenti ſedulitate omnia perfici Comes curaverat: Inde bona Pontificis venia, Cardinaliumque gratia, apud quos opinionem eam de ſe repoſuerat, ut amari & ſuſpici æque videretur. Bono igitur animo una cum Cardinali Florentino, plurimæ inter fratres Collegii auctoritatis, Neapolim verſus ire cœpit; aberatque Roma itinere alterius diei, cum præire Cardinalem feſtinat, ut illi pompam apparatumque redderet illuſtriorem, quem quidem maximum exactiſſimumque præſtitit. Utque par erat, honorifice Neapoli acceptus eſt, ubi nihil antiquius præſtare viſum fuit, quam quod Serzan Comes Reginæ nomine promiſerat, ipſa præſenti juramento firmaret: qua re præſtita, Cardinalis Reginam coronavit, Regiamque veſtem, ac reliqua, quæ religioſe ac ſolemniter in Regno conſtitutam oſtenderent, ei contulit. Sicque Regina coronata & induta, Legato Sedis Apoſtolicæ obedientiam fidemque promiſit, eodemque jurejurando populos Procereſque Regni eadem præſtare Reginæ juſſit Cardinalis & vidit. Ut igitur tot officiis, tamque ſæpe exhibitis, & huic præſenti, quo tam inſperata a Pontifice obtinuerat, reliquorum maximo, gratiam rependeret, & ſe gratam munificamque oſtenderet coronata hac celebritate Regina, Serzanum Comitem, magnum Regni Seneſcallum creavit: quod munus noviſſimum inter primores Regni Magiſtratus adſcribitur, qui præſidenti publicis rebus Principi, arduaque per ſe agitanti, ceteris Proceribus propius aſſident, & totius Regni negotia ab his ſeptem ſingulatim diſtributa curantur. Eſt præterea magni Seneſcalli toti Regiæ moderari, univerſæque familiæ, & una cum his negotia tractantibus jus dicere. Inſuper cavere vigilanter, ne vaſcula, aut cibi, quos Princeps ſumturus eſt, veneficio aliquo inficiantur; ſolemnibus etiam Regalibus cœnis atque epulis, equo inſidere albo, veſte ſerica, aureis laqueis circumplexa, dapes inſtructas ante præguſtare, & cum ad menſam Regiam devenerit, equo deſcendere, lancemque a diſcophoro ſumtam per ſe inferre, deinde deguſtando explorare; atque his peractis iterum equum conſcendere, & eodem miniſtrorum comitatu ad alia fercula importanda reverti. Hunc morem magnus Seneſcallus ſervaturus ſemper eſt, etiam ſi centies novi cibi inferendi eſſent. Hoc itaque ſpectaculum eo tempore diu intermiſſum, renovari per virum, majeſtatem quandam forma, ornatuque præferentem, non modo jucundum, ſed venerandum fuit. Utque Magiſtratum ſplendidius agere poſſet, quoniam Regni curam illi Regina conceſ-

ceſſerat, Venuſio, ejuſque oppidis donatus, Duciſque nuncupatione ac dignitate inſignitus eſt.

Creverant Serzano jam Duci, unæ cum dignitate & fortunis, labores atque diſcrimina. Quippe ſemina Andegavinæ factionis aliquandiu depreſſæ fibras diffundere ad ubertorem ſegetem non deſiſtebant, adeo ut quod non veriſimile, & tamen verum eſt, plerique Dyrrachinarum partium, & quod iniquius videbatur, Ladislai etiam Regis alumni, & ab illo, ſororeque bene habiti, cenſuque honeſtiori adaucti, Andegavenſem præoptarent, illumque Regno intrudere meditarentur. Hi nimirum adſcitis ex Reginæ intimis, quos obtrectare adverſus magnum Seneſcallum, illumque ſtatu præſenti deturbare ſatagentes noverant, per eoſdem ſtimulare Reginam non ceſſant; cui perſuadere contendunt, imminere periculum novandarum rerum, & ni magnus Seneſcallus a Regni gubernatione, Regiaque ejectus amoveretur, fore ut odium in illum conceptum, in Reginam quoque verteretur, cui hac una ratione, totique Regno quietem futuram proſpicerent. Hoc etſi ex invidia naſci videbatur, (erat enim Serzan populo quam cariſſimus; tum ob juſtitiæ rectitudinem, tum ob annonæ curam ac diligentiam) tamen viſum eſt loco cedere, & perfidiæ prætextum abrumpere. In Inſulam itaque Prochytam emiſſus eſt, hujuſmodi conditione, ut Neapolim, non niſi evocatus repeteret: quod quidem modeſte tulit, fretus, neceſſario rerum ſtatu ita poſcente, ſe brevi majorem reverſurum. Eo igitur amoto, & intra Prochytam detento, liberius Andegavenſi aſpirare cœptum eſt, adeoque de Regina deque ejus Regno male ominari, ut quos ipſa ad Ludovicum de compoſitione miſerat, non ſint veriti illi diſſuadere, nec dubitaverint in illam, a qua Oratores miſſi fuerant, hoſtis duces reverti. Pergebat interim hoſtis in Regnum, augebatur in dies exercitus, non ad bellum, ſed ad prædam ire perſuaſus. Defecerant enim ad eum multi, partim cupiditate optati Principis, partim metu, ne perditis Reginæ rebus, ipſi dignitatibus fortuniſque evolverentur: ideoque præoccupare Andegavenſem curabant. Erant qui vellent, ac diſſeminare rumores non ceſſabant, Ludovicum non citra Pontificis nutum ſe accinxiſſe: quod credibile faciebat, nuper non ſemel ſimiliter factum vidiſſe. Adventante propius ſubinde hoſte, etiam Regni fines tenente, omnis nutare Dyrrachina res, caſumque expectare, præcipue moderatoris defectu, videbatur.

Circumſpectis omnibus magnus Seneſcallus unus judicatus eſt, qui

qui tanto discrimini occurrere posset, tum virtute spectata; tum fide. Itaque Reginæ consuluere, necessarium videri illum revocari, hominem populis carum, & ejus Majestati fidissimum; si quod esset, hoc unum fore præsidium. Orta ex opportunitate occasione, boni omnes qui res salvas cupiebant, & amici necessariique magni Senescalli audentius id exposcunt. Æquum itaque petentibus assensum est. Rediit ergo ingenti omnium favore, & partium spe, & quamvis semper, eo tempore maxime modestiam animique magnitudinem præsetulit: quippe ne signum quidem prælati in se odii ostendit; imo potius eumdem erga eos, qui in se egerant, acturique longe pejora data opportunitate fuissent, reversus se præstitit, obsequiique in Reginam plus exhibere non potuit. Et cum fide diligentiaque rei præsenti æqualiter egregiam operam dedisset, in hac tamen, quæ discriminis plus habere videbatur, solito majorem operam navavit, animo quidem parili in maximis peragendis se prodente. In primis igitur Reginæ assidere sibi fidelium, & negotia callentium concilium belli persuasit, utque nutantes stabiliret, & illud non parvi faceret, quod adversarii pervulgaverant, alienatam scilicet Pontificis mentem; hoc autem vanum esse, quibusvis nuntiis ostenderet. Cogitaret insuper, quonam apparatu tam imminenti discrimini obviam ire posset; interim muniret urbes, milites oppidatim in præsidiis distribueret. Nam conferre castra exiguitas copiarum non permittebat. Consultatum est interim (quod præcipue rerum status poscere videbatur), quisnam prope affectis rebus subvenire vellet, & posset. Perlustrantibus ergo enixiori cura Christianos Principes, & aliis alios proponentibus, unum se offerre ait, qui subsidium validius ac præsentius ferre posset, Alphonsum scilicet Aragonum Regem, juvenem alacrem, impigrum, gloriæ propagandique Regni avidissimum. Erat enim fama, hunc eo tempore in Africæ insulam Lothophagum, quæ hodie Gerbis dicitur, expeditionem parare. Præterea Siciliæ dominari, quæ tam angusto freto a Regni continenti diremta est, ut utique Terra procul spectantibus continuo videri possit, unde quam facillime commeatus omnis generis abunde, milites, equi, frumenta, aliaque præterea bello opportuna afferri possunt, & tam ad manus esse, ut non allata, sed Regno innata videantur. Hunc itaque sine controversia ex his Principibus, qui interiori hoc nostro mari utuntur, esse potentissimum; habere enim & milites, & remiges e suis Regnis, non parandos aliunde in hostes,

ſtes, & æque in maris tempeſtatibus, navigandique peritia graviter inſtructos & exercitos. Qua dicta ſententia, non ulterius de perquirendo, a quo eſſet expectandum auxilium, ſed de Alphonſo Rege quam citiſſime evocando conciliandoque, omnibus viſum eſt. Legantur igitur ad illum viri prudentes, & partium deditiſſimi, qui quanta maxima potuerunt celeritate Regem adeunt, offenduntque illum deducta claſſe jam jam in Gerbim ſoluturum; eſt enim Tunetanæ ditionis Inſula. Expoſita legationis ſumma, præfatiſque opinionem & fidem, quam de ejus majeſtate Regina conceperat, ipſum, aut neminem fore, qui illam præſenti periculo inſenſiſſimi hoſtis liberare poſſet. Oblatas conditiones libenter arripuit Rex; magni enim ducebat, Regnum hoc reliquis ſuis connectere; nec minus glorioſum, quam Regali officio dignum, ſe obſeſſæ Reginæ liberationem patraſſe. Obtulerant autem Oratores, ſtatuiſſe Reginam, ſi ei adeo validas ſuppetias attuliſſet, ut hoſtem Regno ſubmoveret, eum poſt mortem Regni ſucceſſorem, adoptivumque filium relinquere. Interim Arcem novam Neapolis, Inſulamque Ænariam, quæ hodie *Iſchia* dicitur, pro ejus fede, & in Regni hereditarii prærogativam illi tradere.

Dimiſſis itaque Oratoribus, ut prænuntiata adventus ſui celeritate nutantes in fide contineret, fidelibus vero obſtinatis ad quodvis periculum pro Regina tuenda ſubeundum, ſpem animumque adderet: miſit etiam in urbem Romam ad negotiorum ſuorum Procuratores, ut Italum equitem, peditemque conducerent, qui ſibi Neapolim appulſo præſto eſſet, atque ut majori diligentia curaretur, etiam cur fieri vellet, adſcripſit, ſtipendio liberaliter præbito: quod non minus provide, quam celeriter actum eſt. Quippe Brachium Montonium ſua tempeſtate militiæ Ducem in primis nobilem pro Rege obæratum habuere; pollebat enim exercitu ſua diſciplina inſtructo. Interim Rex bene valida claſſe ad præſtitutum diem noſtris litoribus adfuit, tantiſperque diſtulit navalem militem exponere, quoad Brachius cum terreſtri appareret, quo & ille non diu moratus advenit. Primo igitur congreſſu belli ſtatum conſtituerunt. Rex enim Neapolim tutandam, illiuſque potiundæ ſpem hoſtibus adimendam ſuſcepit; Brachii vero partes fuere, ut ita hoſti opponeretur, ut ille nequidquam proficeret, captata tamen prius opportunitate utrumque exercitum uniendi. Cum igitur hoſtis id ſe prohibere non poſſe, nec junctis ſe parem cognoſceret, coactus obſidionem ſolvit, & Regno

egreſſus eſt. Itaque re pacata, magni Seneſcalli maxime diſſi-gentia, nequaquam tamen ipſi otium aut quies contigit; majoris enim curæ laboriſque fuit, Regem Reginamque, ne diſſiderent, continere, quam ut antea unirentur, erat. Regina enim jam Regem ſuſpectum habere cœperat; Rex vero muliebrem inconſtantiam vereri, ne ſi diutius illa viveret, non modo interim ipſe Regno careret, cui maxime inhiabat, verum etiam largiore temporis intervallo, Reginæ opera ſucceſſione fruſtraretur. Non ceſſabat propterea magnus Seneſcallus omni ſtudio & induſtria alteri ſuſpicionem adimere, alteri vero ſpem bonam facere: ſic aliquando inter eos verſatus eſt, ut neutri ſe ſuſpectum præbuerit. Tandem Rex moræ impatiens, diem, quo Regni ſucceſſor fieret, prævertere feſtinat, Reginamque ſub tutelæ nomine ſuæ ditioni ſubdere. Itaque deliberanti, quonam modo id aſſequi potuiſſet citra majorem tumultum, fuere ex intimis, qui conſulerent, ſi magnum Seneſcallum antea caperet (in illo enim res omnes inniti): hoc uno exarmatam Reginam ad eum quibusvis conditionibus deventuram. Aderat conſilio opportunitas. Conſueverat enim quotidie magnus Seneſcallus Regem in Arce convenire, tum gratia, tum ſi quid diſſidioſi inter utrumque Principem exortum eſſet, ut ipſe componeret. Cumque ſolitum morem ſervaſſet, nihil tale veritus, ut qui futurum ſibi Regem veneraturus acceſſerat, vi detentus eſt. Id ex comitibus unus, qui ſecum ierant, ſignis & conjectura prævidens, & Regi, comitibuſque equos pararí animadvertens, furtim a Regia ſe proripuit, Reginam propere adiit, nuntiat ſe facile obſervaſſe, magnum Seneſcallum a Rege eſſe captum, & ut non obſcure conjectari licuit, mox ad ipſam Reginam Arcemque occupandam illum jam jam adfuturum: proinde ſibi ſuæque vel quamprimum conſulat. Feſtinantibus ergo, qui illam ſalvam optabant, periculo imminenti occurrere, ecce Rex adeſt, adeo celeri adventu, ut adita priori Pontis parte, quæ in Urbem emittit, vix Præfectus Arcis alteram partem pontis attollere atque attrahere ſpatium habuerit. Rex interim interrupta ingrediendi via hærens immotuſque, e mœnibus ac propugnaculis ſaxis impetebatur, adiiſſetque fortaſſe vitæ periculum (vertere enim per ſe equum ob angustiam pontis erat difficillimum) ni eques Neapolitanus quidam loris apprehenſis, equum ad regreſſum tuto vertiſſet. Atque ita diſcrimen evaſit, ſpeque fruſtratus, unde venerat, non recta, ſed per anguſtas viarum flexuras, infrequenteſque urbis partes regreſſus eſt; & quod dolo non ſucceſſerat, id vi aggre-

gredi parat. Interea magnum Seneſcallum arctius ſervari jubet, oculatamque inſuper illi cuſtodiam appoſuit; quippe bini ſemper aderant, qui ſibi invicem ſuccedentes, quidquid ageret, obſervarent; quin etiam ne noctu quidem quieſcere, ac ſomnum capere ſinebant, & ſub prætextu ratiocinii inſomnem illum macerabant. Auditumque eſt ab eo, jam liberato, pertimuiſſe ſe, ne tali tormento deficeret.

Vallabat interim Rex interiorem Arcis partem, quæ Civitatem ſpectat (nam illa illi parebat) ſuo navali milite, quo maxime pollebat; exteriorem vero partem foſſa, valloque ſepſit, ne vis aliqua externa ad deducendam Reginam erumpere poſſet. Munitionibus præſidere voluit electam totius Regni ſui nobilem manum, quæ eum, ut par erat, magnifice armis equiſque, ac cetero ornatu apparatuque inſtructa ſequuta fuerat. Anxia Regina, variiſque conſiliis diſquirente, cujuſnam vires impendenti diſcrimini mederi poſſent, perluſtratis omnibus unus Sforția Attendolus par tantæ rei inventus eſt. Ad hunc itaque ſtatim per id temporis eis Calorem fluvium agro Beneventano hærentem, legantur idonei nobileſque viri, & quorum dictis ob eorum auctoritatem fides haberi poſſit, eumque Reginæ nomine ſalutatum rogant, ut velit obſeſſam ſuis armis liberare; idque ingenti emolumento, & gloriæ ſibi ſuoque exercitui futurum. Obtulerat inſuper magnum Comeſtabulatum, ſupremum ex ſeptem Regni Magiſtratibus, cujus officium ſit, omnibus militibus in Regno commorantibus moderari, & equites peditesque illius dicto obedientes eſſe. Eique etiam oppida fortunaſque plurimas pollicitus ſunt, Reginamque effecturam, ut ipſe inter maximos Regni Principes annumerari merito poſſit. Lætus conditiones arripuit, beneque ſperare, qui eam, remque ſuam ſalvam vellent, hortatur; brevique ſe talem operam navaturum promittit, cujus & hoſtes pœniteat, & per quam Regina libera, & domina permanſura ſit; ſibi autem illam longe ampliora pollicitis debituram, ſe eſſe curaturum. Proxima igitur nocte de prima vigilia movit; neque impedimenta, aut ſarcinæ morabantur, quin expeditiſſimus graderetur. Ductabat enim exercitum vetere militia duratum, frondeiſque tentoriis uti ſolitum, & humi ſomnum cibumque capere aſſuetum. Ante quartam vigiliam prope Acerras ſubſtitit, ubi tantiſper moratus, dum milites corpora curarent, & ipſos ad pugnam hortaretur, quibus dum adſtiterat, *adveniſſe tempus*, inquit, *quod aliquando optare forſitan potuerant, ſperare autem minime potuiſſent; non*

votis illud, non ſupplicationibus obventum, ſed Dei munere oblatum, & quo tantos labores, indigentias, vulnera, & ſociorum cædes, aliaque multa incommoda, quæ diutius perpeſſi fuerant, quæque hactenus aut propter hoſtium, aut locorum ignobilitatem ſepulta, & quaſi non facta ſilebantur, hoc uno certamine, ſi præſagientibus animis credere velimus, victoriam dicere poſſumus, & cum ſe in lucem nomenque dabit, nos potioribus opibus & ſpoliis ditabit, augebitque, & laude nobiliores reddiderit. Quippe direpturi ſumus Regium exercitum; nobilem illum quidem, ac divitem exhibiturum nobis plus opum, quam diſcriminis aut vulnerum; qui etſi generoſi alacreſque ſint, novimus tamen diſciplinæ militaris ignaros, laborique inſuetos, famis frigoriſque impatientes, quæ ſolent eſſe virtutum ſubſidia. Irent ergo bene, Deo juvante, & ſui ſimiles, eoſque ſuo duci ſe præſtarent, quos multis prœliis pro longe minori emolumento & gloria ſæpe certare vidiſſet. Quod ad ſe attinet, eo ſe ordine arteque ducturum, ut boni ductoris officium deſideraturi non ſint. Ipſi vero ſciant, uno ſi tantum ictu hoſtem viriliter impetant, hoſtilemque impetum ſemel conſtanterque ſuſcipiant, ingenue ſibi perſuadeant ſe viciſſe.

Ducis verba alacri clamore accepta victoriæ fiduciam oſtendere. Strictis ergo ordinibus in hoſtes ire pergunt, petentibuſque militibus ſigna quædam, aut ſymbola, quibus inter pugnandum ſe hoſteſque diſcernerent, ut quem ferirent, quemque vitarent, dignoſcere poſſent: *in promptu eſt*, inquit, *herbis, aut vepribus, aut dumis, aut aliquo duriori ramuſculo ſe quiſque veſtrum inſigniat, utpote e nemore venientem: ſatis enim nos fortuna diſcernit. Quippe quot bene fericatos, ardenti purpura indutos, torquibus ornatos, phaleratiſque equis inſidentes conſpexeritis, hos ſtrictis mucronibus, inſenſiſque cuſpidibus petite, vulnerate, urgendo ſternite.* Ingentis animi illis verba Ducis fuerunt; ſicque agmine compoſito, & ad ſubita omnia parato, in hoſtes pergunt. Reſciverant jam Aragones, qui munitionibus præſidebant, hoſtem jam dudum ſe offerre, & ne timiditatis arguerentur, ſimul & ut hoſtium humilitatem præ ſua nobilitate contemnentes proderent, in patentem viam decertaturi prodierunt. Ubi ad manus deventum eſt, dedere ſpecimen generoſæ conditionis, Regiæque educationis, diu fortiter pugnam ſuſtinentes. Quod animadvertens Sforzia, immiſſa veteranorum turma per callem hoſtibus inobſervatum, ſibi utpote regionis gnaro bene notum, pugnantes a munitionibus intercipit, ipſe ſuos a fronte impetu vehementiori urgere hoſtem imperat. Aragonii verentes intercludi, dum ſe ad munitiones recipere conantur, in-

ſtan-

flante hoſte, obſtructoque ad ſuos itinere, perpauci evaſere. Maxima pars, & nobiliſſima capitur, munitiones dejiciuntur, Arci liber aditus datur. Jamque per vias Civitatis vicatim pugnabatur; navalis enim miles per anguſtias vicorum pervagari equitem non libere ſinebat. Maxime cum ventum eſt ad intimas Urbis partes, novæ Arcis coronæ propinquiores, ibi Sfortiadæ inſequi deſiterunt, & nequidquam proficientem equitem, & in maximo periculo verſantem, Sfortia retraxit Arcem Capuanam verſus; unde exemtam Reginam, qui ei favebant, Averſam deduxerunt, ne forte iterum periculum ſubiret. Rex vero cum neque præſidii ſatis ad tutandam Urbem, neque equitem ad eruptionem in hoſtes faciendam pollentem haberet, ſuos recenſendo reperit ſe pæne diſſolutum, Regnumque ſuum velut exanime corpus, Proceribus fere cunctis bello captis, & cuſtodia detentis. Ergo ad Reginam de captivorum commutatione miſit, cui poſt aliquas oblatas & utrinque rejectas conditiones, tandem Rex, licet invitus, aſſenſus eſt, ut magnum Seneſcallum pro maxima detentorum Procerum parte commutaret, inter quos, & Comites, & Marchiones, & Duces fuere nonnulli. Quanti autem conſtitit illa redemtio, oppida, quæ Sfortiæ data ſunt pro captivorum cum magno Seneſcallo commutatione, facile oſtenderunt, quippe quæ octoginta millia aureorum ſummam exceſſerint. Ad hæc perpauca me de tanto viro Duce Sfortia narranda, tum rei opportunitas, virique alacritas, tum maxime exiſtimatio ejus filii *Franciſci Sfortiæ*, quem ipſi Mediolani Ducem vidimus, traxit; eumque ſi fata ad hæc tempora ſervaſſent, profecto hanc noſtram Italiam conculcatam, attritam, omnique ſplendore privatam nequaquam cerneremus. Sed de hoc ſatis.

Serzanem ſtatim ex captivorum commutatione liberatum, recuperandæ Neapolis cura invaſit. Reliquerat enim in ejus præſidio Alphonſus, Celtiberiam repetens, Petrum fratrem, cumque eo Jacobum Caldoram Ducem excellentem, electaque militum manu ſubnixum. Ex quo igitur magnus Seneſcallus carcere exierat, nil antiquius duxit, quam per pararios utriſque fidos, cum Caldora agere, ut ad ſanitatem rediret, Reginæque Civitatem concederet; quod tandem fecit Caldora, cauſatus ulterius militem ſtipendio carere non poſſe, præteriiſſe jam diem præſtitutam, qua mittere illud Rex promiſerat; nec poſſe amplius famelico militi verba dari; quin etiam per cives ſuos, qui apud Reginam morabantur, quotidie ſollicitari, inſuper famem, & obſidionem oſtentari; noſſe vulgi ſe inge-

ingenium, & levitatem: proinde optimum videri, Petrum Regis fratrem cum ſuis omnibus, reque ſalva incolumem abire, priuſquam incommodi aliquid patiatur, cui a ſe minime obviam iri poſſit. Veritus itaque Regis frater, ne mens Caldoræ in pejus verteretur, expectato citius triremes conſcendit, in Siciliamque navigavit. Sic Civitas in Reginæ poteſtatem rediit. Serzan duplicis neceſſitudinis vinculo Caldoræ committitur; uterque enim utriuſque filio ſuam filiam ſpondet. Reſtabat, quoniam Regina poſt irrita Alphonſi tentamina animum ab eo alienaverat, & ad Andegavenſem verterat, ne ſublato æmulo, Ludovicus iter, quod Alphonſus præpropere regnandi cupidine oſtenderat, & ipſe teneret.... Arces, quæ Alphenſo traditæ fuerant, ab eodem detineri; ſicque Ludovicum, ne quid inſolentius moliretur, eadem ratione continendum eſſe. Liberare ſe inter utrumque pro incolumitate, ac fortuna Dominæ ſuæ neceſſe erat, ... propenſior tamen ad Ludovici partes, quem a Regina adoptatum jam noverat, unde etiam ad moderandam Calabriam miſſus fuerat. Obſervabat jam ipſe Ludovicum, ſed curarum ſumma erat, ne vivens Regina Regno ejiceretur, cujus cautelæ caput erat, neutrum, ſcilicet Alphonſum, aut Ludovicum interim ſine ſpe & metu degere. Regina igitur Neapolim reverſa Conventus habuit, quibus Ludovicum Andegavenſem filium in adoptionem acceptum, ac Regni ſucceſſorem pronuntiavit; atque ita illius res, & negotia Serzan ampleƈti cœpit, utpote futuri ſibi Regis. Interim affinitatem iniit cum Principe Tarentino, ſuam filiam Gabrieli Urſino, ejuſdem Principis fratri germano, carenti liberis ſucceſſuro, matrimonio jungens. Adeo milite, opibus, & affinitate creverat, ut eum futurum Regem crederent omnes, quem ipſe præoptaſſet. Inde ferunt, Ludovicum, ut certior de Regni ſucceſſione fieret, Serzanis filiam in matrimonium petiiſſe: quo audito, velut ſubiratus aliquantiſper obmutuit, deinde ſcire, ſe non a Rege natum, neque Reges genuiſſe. Hanc igitur mentem averteret Deus, & quam ſemper habuerit, confirmet, qua perpetuo parere Regibus ſuis fideliter decreviſſet; ſatis ſibi ſuperque futurum, ſi Andegavenſes inter caros amicos habeat; ſin autem propenſus ad ſibi obſequendum ſe habiturum Regnum ea affinitate putet, ſciat nullo arctiori vinculo confirmari poſſe, quam quo Regina illum in filium ſucceſſoremque adoptaverit; ſe penitus illi deditum & obſequentem fore, ſervet modo benevolentiam Reginæ Matris, quod ſummopere eum facere hortaretur & ſupplicaret: de ſe

au-

Digitized by Google

untem fidam ſpem habeat, fidumque habiturum militem, Arces, amicitiaſque ſuas; hos unum ſpectare, ut ipſe poſt Reginæ obitum pacatum integrumque Regnum accipiat: quod libentius faciliuſque ſe præſtiturum devoti, quam ſoceri nomine pro certo habeat. Hæc pro tempore proviſa, & de commeatu terra marique apportando, utque Fiſci reditus & vectigalia citra querelas minimumque gravamen exigerentur; quin etiam de ſucceſſore Regni publicatum: quæ res minime ſuſpenſas hominum mentes tenebat.

Ratus igitur Serzan poſt tot perfunctos labores, & ſuperata pericula quietius vivere, remque otioſius adminiſtrare, quod minime expectabatur, exortum eſt. Cœperat jam Regina, ſecura, ac tantis periculis libera, aures Serzani detrahentibus obtrectantibuſque præbere; inter quos delatorum princeps Duciſſa quædam Reginæ affinis, præſertim non ita ceteris ad Reginam aditu patente, ſuggerebat, eam vanum jam & futile Reginæ habere nomen; vires autem potentiamque penes magnum Seneſcallum eſſe, quem viderent milite proprio, Arcibus, pecunia, affinitatibuſque pollere; a quo beneficia, honores, inſuper criminum impunitates condonentur; tametſi Reginæ nomen ſubſcriptionibus apponatur, ſcire tamen omnes, illius eſſe manus; eumque jam in tantam ſuperbiam arrogantiamque deveniſſe, ut etiam ſuis gravis eſſe cœperit. A Proceribus Regni & Ducibus frequentius ædes illius, quam Reginæ obſervari, invidioſe ab omnibus conſpici. Hæc præcipue deferebantur ab his, qui decus & honorem Dominæ ſibi cordi eſſe videri volebant. Quæ omnia, etſi vana noviſſet ab invidis & malevolis objectari, tamen muliebri ingenio, inconſtantique animo, & novitatibus gaudente, libenter admittens, animum detractoribus faciebat pejora in dies deferendi. Valuere poſtremo tantum criminationes, etſi falſæ, per Duciſſam illam, temporis occaſione captata, quod facillimum erat, eadem menſa cubiculoque utenti, ut Regina optare ſe diceret hominis audaciam retundi, & potentiæ opinionem infringi: quod quidem tunc ſatis viſum eſt a Regina extorſiſſe. Non diu poſt eadem femina Reginam adiit, fatiſque in his, quæ ejus Majeſtas innuerat de vi minuenda, deprimendoque faſtu magni Seneſcalli, conſultatum; & modum, qui periculum ipſi Reginæ, ceteriſque machinatoribus non afferret, reperiri, ſi ipſe liber incoluniſque evaderet: proinde illum aut capi, aut occidi oportere, ut ſe non tantum voti compotem faciat, ſed etiam tutam præ-

præſtet. Forte enim reſciri rem tot viris agitatam poſſe, & de ipſa reliquiſque conſciis male actum iri. Cui Regina, nullo modo velle, nec aſſentiri, virum, qui tanta pro ſalute ſua dignitateque tuenda egiſſet, perpeſſuſque foret, occidi: quod maxime caverent, ne in iram indignationemque ſuam incidere vellent; darent modo operam, & citra mortem corporiſque injuriam patrarent facinus: ſic enim noverit, Dominam ſe habere, & tractabiliorem futurum. Hæc mandaſſe, poſt Serzanis mortem publica concione patefactum eſt. Degener prorſus Reginæ, & improvidum mandatum; nam quem capi permittebat, occidi vetabat. Nemo enim conſciorum, nili illo mortuo, quamvis capto, ſe victurum ſperabat.

Diſquirentibus itaque perpetrandi ſcelus opportunitatem, viſum eſt facinus aggredi præſtituto die, quo filius uxorem ducturus erat. Miſerat enim Caldora Mariam filiam Trajano magni Seneſcalli filio matrimoniali thoro jungendam; ſed pompam & celebritatem ſponſalium Regina ſuo nomine in Arce Capuana continuis octo diebus indixerat, quorum pars militaribus ludis (quos Cloſtrales ſua quadam derivatione, Hermolaus Barbarus dici exiſtimat) conſumebatur; pars ſaltationibus & choreis, Regalibuſque commeſſationibus, quibus univerſa Civitas accipiebatur; interſiti ſunt & ludi pegmatibus ducendis, adeo ut nullus præfinitorum dierum recenti aliquo læto jucundoque ſpectaculo vacaret. Itaque ipſum huic uni maxima ſollicitudine intentum, ſecurum præterea, lætumque tum officiorum omnifariam ſibi exhibitorum, præcipueque ſpe ſucceſſuræ prolis (nam unicus erat filius Trajanus, qui tunc uxori jungendus erat), his de cauſis, utpote incautum, nihilque tale ſuſpicantem, commodius aggredi poſſe rati; quamvis non defuerint, qui illi nuntiarent, vidiſſe apud ſe invidos & malevolos ejus, ſigna & conventicula quædam prætendentia in illum aliquid mali; quibus reſpondit, nihil facere ſe invidorum vires atque conventus, ſalva Reginæ gratia & fide, de qua adeo benemeritus erat, ut pro comperto habeat, neminem ſibi eſſe verendum. Itaque ſtatuiſſe potius ab ea, ſi res poſtulet, decipi, quam deficere. Quin etiam puero ingenuo, qui ſe dixerat deprehendiſſe carnes, victuique neceſſaria plura, quam familiæ debeantur, in domos ſuſpectorum inferri, colaphum inflixit, petereque ludum juſſit, nec ætate ſua majora perquireret. Ut autem conſpirantes commodius ſcelus perageret, paucis ante diebus divulgaverunt, Reginam cuſtoditam ac

non

non liberam detineri, quamdiu Arci Præfectus magni Seneſcalli intimus, & amicus eſſet. Ille autem ubi hoc reſcivit, ut ſuſpicionem deleret, Præfectum amovit, Reginamque precatus eſt, ut quem vellet, ſuffici ediceret. Conditione accepta, Duciſſa illa incendii fax, ac totius mali princeps, hominem ſibi deditum Arci præficiendum curavit, cui injunctum eſt, aditum præſtare die noctuque ſine cunctatione liberum viris ſcelus patraturis, quorum nomina ex compoſito mihi ſubticentur, cum propoſitum ſit nemini tanti ſceleris notam ingerere, nec cicatrices jam obductas refricare. Sit hoc dixiſſe ſatis, pleroſque ab eo ad honores evectos, & nonnullos eo favente impunitate donatos, olimque perduellionis crimine damnatos extitiſſe, qui nocte, qua peractum eſt ſcelus, apud ipſum inter affines, gentileſque cœnarint, quique ea veſte induti, qua magni Seneſcalli comites a ceteris dignoſci ſoliti erant, eum vulneribus impetere non dubitaverint. Quorum nepotes, nos ipſi audivimus ingenue fateri, ſe paupertate atque egeſtate, innumeriſque malis nullam aliam ob culpam conflictatos eſſe, niſi quod a majoribus ſuis homini Principi, deque illis benemerito, indigna mors illata fuerit.

Biduo itaque, antequam octo nuptiarum dies præſtituti finirentur, cum magnus Seneſcallus defatigatus & gratulantium admiſſione, & alacritate animi, ut quietus pernoctaret, in domum ſuam ire pergeret, inter eundum occurrit ei, qui nuntiaret, Trajanum filium quieti ſe tradidiſſe, ibique ab omnibus fieri. Quapropter verſus ad comites: *Sinamus*, inquit (*nec ſimus importuni*) *potius adoleſcentem ſomno & quiete reparare vires; quin revertamur in Arcem ad ſolitum cubile*. Atque ita trahente vi illa, quæcumque fuerit, cœleſti, ad ſedem reverſus eſt. Non viſum eſt conjuratis ulterius differre facinus, non aliàs tot occaſionibus tam opportunis, & caſus adverſos timentibus ab eis, qui rem deferrent, & diſcrimen in eorum capita deflecterent. Octavo igitur Kalendas Septembris intempeſta nocte, quæ Divi Ludovici diem feſtum, & celebrationem præcedit, conſpirati, quos Præfectus Arcis tacite admiſerat, arripiunt puerum miniſtrare ſolitum Reginæ in abaci expoſitorii curandi officio (unde magno Seneſcallo probe notus), eumque ſecum ire pavidum ac lacrymabundum cogunt, ut illum accerſat, Reginæque ex defluxu capitis animam agenti præſto adeſſe velit, quem renuentem invitumque trahunt ad cubiculi fores, pugionibuſque jugulum intentantes mortem minantur, ni taceat, ac juſſa exequatur, Ita-

Digitized by Google

que, quod simulasse jusserant, vero timore expressit, conceptisque verbis magnum Senescallum voce pavida ac tremula excitavit. Ad cujus vocem, *heu domina*, exclamavit, jussitque puerum assurgere, nuntiumque intromittere, ut inter vestiendum res exactius noscceretur. Puer dum januam subaperiret, spectans armorum splendorem, & cœtum hominum loco & tempore majorem, exclamavit armatos esse. Ad quem Dominus, *claude, claude*, inquit, gladium, qui ad caput dependebat, arripiens. Interim semiapertam januam impulsu præcludi non sinunt, illumque circumdant strato exilientem, quem undique impetentes multis confodiunt vulneribus; atque ita nihil se indignum nec querulus, nec precatus, occubuit. Interfectores etiam mortuo repetitis vulneribus insultasse fama fuit.

Relicto cadavere illico nuntios ad filium, germanum, amicos cunctos, denique aliqua necessitudine ei conjunctos miserunt, ad eum, quem jam exanimem reliquerant, evocatos, quos omnes, ubi advenerunt, in carcerem detrusere. Jacuit eodem cubiculo cadaver in serum sequentis diei, quod Fratres Heremitani Templum Divi Joannis ad Carbonariam incolentes, in quos Serzan multa beneficia contulerat, multis accensis funalibus extulere, inque nobili illo Sacello, quod sibi vivens construxerat, conditus est. Hic tanti viri, deque patria optime meriti, vitæ finis fuit. Non omittendum tamen puto, quominus ostendam, quænam fuerit in tali facinore Reginæ mens. Mane enim, ne quid turbarum oriretur ex tanti viri cæde, quamvis omnes illius propinquos, aut aliqua amicitiæ vel beneficii necessitudine conjunctos eadem nocte falso magni Senescalli nomine accersitos vinctos detinerent, propter popularem tamen erga illum benevolentiam, ob regimen, quo in omnes justissime utebatur, ne memoria tanti viri amissi aliquid tumultus concitaret, concionem habere placuit. Cumque Regina præsidente unus ex conscriis verba faceret, nihilque haberet, quo nomen tam præcellentis viri tam integrum clarumque obumbrari posset, vim suæ orationis in illius potentiam, superbiam, arrogantiamque falso exacuit; eumque ad id jam devenisse dicebat, ut non modo populum & Equites, sed etiam Proceres, ipsamque Reginam despicabiles haberet. Quare veritam Reginam, ne hominis potentia ac superbia in sui discrimen ulterius progrederetur, jussisse illum occidi: quod verbum cum Regina audisset, subtraxisse vultum dicitur, ac dicentem torve respiciens: *Mentiris*, inquit. *Capi enim, non interfici jusseram.*

Ad

Ad quam conversus ille : *Verum inquis Domina ; sed dum caperetur , ac per vim elabi contenderet , occisus est* . Erat Serzan , cum talia perpessus est , intra sexagesimum ætatis annum: statura fuit eminenti , membris inter se bene cohærentibus ; gradiebatur erecta cervice , ore , obtutu , sermonisque gravitate Majestatem Regiam præseferens. Veste utebatur quotidie , aut oloserica , aut auro distincta , eleganti plerumque novitate , suæ tum gravitati , tum fortunæ accomoda . Arma , & equi , reliquusque ad res bellicas apparatus, quo potissimum delectabatur, in admirationem conspiciebantur . Aulæis, argento, & reliquo supellectilis ornatu , etsi pretioso uteretur , morose tamen nitido atque disposito gaudebat . Continentiam ejus vita functi laudare superfluum ducimus, cum ætate omni , ac postremo sexagenarius vixerit, omnium judicio , omnis generis libidinis expers , & qui castitatem conjugis pie sancteque ad mortem usque servaverit . Sed invidia, quæ summa petit fastigia, talem virum perdidit, & Regni iniquum fatum. Quod Laurentii Vallæ insignis doctrinæ viri spectabili illius mausolæo carmine insculpto elegantissimo, prout legentibus liquere potest omnibus , verius ac significantius ostenditur. Non tamen ab re fuerit insignia quædam moderationis ejus , & prudentiæ documenta subnectere .

Ludovicus enim Andegavensum Dux, quod superius inseruimus , cum adoptari a Regina , ut succederet Regno , maxime cuperet , idque quonam modo posset assequi meditaretur , sperans rem facilius perfici posse , fideliusque servari , si magno Senescallo affinitate jungeretur : per utriusque fidissimos illius filiam sibi matrimonio jungi postulavit , quasi pro comperto habens , illum libentissime assensurum . Quibus ille ait , ingentes gratias se Ludovico habere , illique suo agi nomine summopere precari ; attamen sui se memorem esse , neque se Rege natum , neque Regis filiam genuisse ; ideoque tanto Principi officio & obsequio se adduci malle , quam affinitate jungi . Ea in re suam pro viribus opem præstiturum , per quam apud illum perpetuam gratiam speraret . Desineret ergo de affinitate agere cum eo, quem sibi devotum & obsequentem experimento brevi perspecturus sit. Item cum Regina eum titulo Principatus Capuæ insigniviſſet, diplomataque ac privilegia illi confeciſſet , quibus ei & Civitatis dominium , & Arcis tradidiſſet , ille autem nollet se Capuæ Principem appellari , a propinquis & neceſſariis increpatus est incusantibus , quod nuncupationem tam præclaræ dignitatis aſperna-

retur. Quare illum non desiere orare & obsecrare, ut Principem se Capuæ appellari pateretur, cum jure deberet & posset, nec se familiamque suam tam eximii Principatus honore fraudaret. Ad quos subridens primo, deinde fronte obducta: *Falsa*, inquit, *vos ambitio ne fallat, meque vobiscum perdat, tutius est prævidere. Probe enim nostis Capuæ opportunitatem, quantique eam semper fecerint Reges, vulgoque Regni clavem dici. Me vero Regem fore etsi nonnulli polliceantur, modestia tamen & natura dehortantur, & ne optem, suadent. Ego si Capuæ dominari pergam, ingentem me conflaturum apud venturum Regem invidiam certo scio: Sin autem illam tradere voluero, quod futurum judico, ademto Principis titulo; hoc sine meo exauctoramento & ignominia non fieret. Ergo integrum mihi servavi sine nominis diminutione apud futurum Regem illam deponere: quare, & reliquis nostris officiis gratiam Principis conciliare, & Regno quietem confirmare, honesta conjectura providendum mihi esse existimavi.*

Hæc denique habui, amatissime Princeps, quæ ad te de Serzanis magni Senescalli hujus Regni proavi tui illustrissimi vita, majori fide, quam eloquentia perscriberem. Unde meus in te amor facile perspici potest, cum ad scribendum me etiam verentem impulerit, ne tanti viri gloriam exili a me stylo editam deprimerem, quod profecto pauci etiam disertissimi pari facundia consequi potuissent. Malui itaque tanti Proavi oblivioni occurrere, & aliqua ex parte illius exemplis te juvare, quamvis per te satis studiosus ornatusque habearis. Consultius itaque talia haberi de eo, quam nulla, visum est; & tibi vel ob hoc gratum feciſſe cum noveris, quemadmodum fortunis & Principatu te, ut verum heredem, ita etiam moribus & vitæ, ad quæ præcipue tenebaris, ultro satisfeciſſe. Lege ergo, & rem familiæ insignem, tibi præcipue fortasse utilem, evolvito. Invenies equidem in Proavo tuo perpetuum quoddam cum fortuna luctamen, eamque una cum invidis atque æmulis sæpius virtute superasse. Quod autem visus sit morte indecenti moribus, & peractæ vitæ occubuisse, minus mirum est, quando & hujusmodi plerumque exitu viri in omni ævo excellentes vitam clauserint; quippe qui diligentius decorem, quam vitam custodire decrevissent, maluerintque quos in se conspiraſſe cognoverant, substinere, quam aut falso delatos, aut pœnitentia ductos, Tyrannorum more parricidiis prævenire. Cum præterea quicumque nimium studium in vita propaganda ponere soliti sunt, minime magnum

ali-

aliquid meditari, aut perficere possint. Hujus autem Principis integritatis fideique documentum maximum haberi potuerit, quod cum tot in necem direptionemque illius convenerint, nemo tamen latus sit, aut majestatis, aut criminis alicujus falsò vel fictò arcessere, quo illum merito cæsum, & se jure ejus fortunas occupasse testaretur. Tantum claritas sinceritasque viri valuit, ut cujus corpus livor persodere potuit, partam tamen gloriam & decus attingere minime valuerit. Cernis enim sublimitatem, ad quam virtus Proavum tuum extulerit; velim tamen, per quos laborum discriminumque gradus ascenderit, simul memineris. Quippe nullum laboris aut discriminis genus invenies, quod non ille pro fide decoreque servando pertulerit, perpetuo laboraverit, exulaverit, insuper captus detentusque fuerit, denique & mortem immeritam obierit. Hæc tibi scribens nota esse volui, ut ejus nomen & rem tanto diligentius, & majori cura serves & augeas, quanto pretiosiori mercede comparata fuisse tu non nescis. Erit non minus & officii & gratitudinis, non tantum nomen & gloriam tueri, verum & monumenta, constructionesque, & ædificia tam sacris locis dicata, quam etiam humanis usibus constructa, curare ne collabantur & desint, sed juxta humanas vires & providentiam quam diutissime perennent, postquam sempiternum aliquid mortalibus negatum est.

Digitized by Google

JO. BAPTISTÆ SPINELLI CARIATI COMITIS *VITA*

AUCTORE *TRISTANO CARACCIOLO.*

MErito profecto Juſtitiæ moralium tractatores primum tribuere locum, non modo ei, quam legitimam vocant, reliquas omnes in ſe continenti, ſed uni illi ex quatuor maxime, quam Æquitatem plerique nuncupant; eſt enim pacis concordiarumque effectrix & conſervatrix, ſcelerumque expultrix; per eam namque quiſque ſuum tuto poſſidet, amiſſumque recuperare ſperat. Illa etenim eſt, quæ noctis tenebras diſterminat, luciſque inſtar viantes ſecuros illæſoſque ducit, & inter maximos, ſummos, & imos; potentes, & imbecilles; Regem, & populum, æqualitatis modum invenit. Veneranda prorſus virtus, & numinis vice colenda, quæ quotidie humano generi tot beneficia præſtare dignoſcitur, maxime quod ſi forte ſecus evenerit; inculpata nihilominus in ſua majeſtate reſidebit. Ex hoc tam lucidiſſimo, beneficoque fonte non modo multi rivi, ſed etiam perpetui amnes ad nos inſtruendos emanant. Gratitudines non minus cenſeri debent, quæ Beneficentiæ, Juſtitiæ aſſeclæ, reſpondent; ea namque eſt, quæ promerentibus gratias habere, & agere jubet; quippe quæ red-

reddere non valemus, memoria jugi accepta beneficia repenſamus. Quare opportunum eſt, ſi quando facultas aderit, nos gratos facto oſtendere; ſin autem memoria ſervare: ſic enim promtiores ad elargiendum munificos ſperamus, quando non incaſſum ſua ſe effuſuros vident, quidquid gratias agentium cauſa agere noſcuntur. Invitant enim divites ad donandum (quod maxime indigentium intereſt), cum exemplo ſint, non defuturos, qui acceptorum recordentur, paratique ſint ad redhibitionem qualemcumque. Non autem talione beneficia rependere oportet, ſed etiam qui illorum meminerit, grati nomen non amittet. Indicat enim, cum opportunitas apparuerit, quod animo gerebat, re oſtendere. Non abs re ergo tantopere laudata eſt hæc Juſtitiæ pars. Igitur poſtquam honeſtiſſimum, & mortalium generi, ut ita dixerim, neceſſarium oſtenderim, nos gratos, ut ſupra memoravi, acceptorum, & jugi illorum in ruminatione atque commemoratione eſſe cognoſcimus: ſemper diem opperior, quo ut debeo, & maxime opto, factis recompenſem. Sed poſtquam illum tamdiu expectatum non apparuiſſe compererim, ne tantum animo gratus videar, conabor, qui ſim, foris oſtendere. Tentabo igitur (quod erit auro argentoque, quibus minime indiges, carius tibi forſan & acceptius) me redimere. Cum ergo ſit hujus Virtutis debita ſtudioſe Juvenibus, & munerum conditiones explentibus, impendere, multo magis iis præſtandum dignoſcimus, quibus peculiaris ſanguinis neceſſitudo & affinitas nos copulavit, nec omnium, quorum notiores ſunt virtutes, & mores laudabiliores; ſed etiam ex iis habere delectum oportet; ne temere gratiam effudiſſe, aut perperam collocaſſe æſtimemur, nec minus iis rebus grati ſimus, quam maxime accepturos deceant, & exhibituros. Itaque tibi Ferdinando Spinello, nepoti cariſſimo, patris tui natales, mores, & acta deſcribere operæ pretium ſum ratus; faciet enim hoc qualitercumque editum, ad nominis ejus claritatem, tuique profectum, cum te noveris tam proximo & hereditario exemplari diſtrictum ad imitandum; quod ſi non feceris, & ingrati omnino & mali nomen aſſequeris: quod abfuturum ſperamus, quinimo repræſentaturum paternos mores, natalis & educatio pollicentur.

Noſtra hac Civitate Spinellorum gens nobilis ſemper habita eſt, interque primores regionis ſuæ, publicis in rebus curandis, fere ex hac Familia vetuſtiſſima præfuerunt, & interſunt. Antiqua ex nobilitatis ſerie Trojanus genus duxit, miles ſiquidem auratus, & oppidorum Dominus, meruit ſub Alphonſo Aragonum

num Rege I. mox ſub Ferdinando Alphonſi filio, cujus Regni laborioſior aditus fuit, militare. Hoc in bello non modo voluntarii, ſed factioſi partes ſecutus, nil fuit, quod pro illarum victoria non libenter auſus fuerit, & pertulerit. Poſtquam domum compoſuit, facultateſque paravit, quibus ſe familiamque alere poſſet ingenue, poſcentibus annis uxorem duxit Mariam Caracciolam, nobili genere & honeſtate præcipuam, ex qua liberos plures mares, & feminas tulit. Statu in hoc deceſſit, curamque domus, & infantilis familiæ uxor accepit; cumque perſpexiſſet ſagax matrona liberorum numerum patrimonio eſſe pergravem, ſtatuit, illos tempeſtive ad mores, opeſque parandas dividere. Itaque alios ad Aulam, Principumque obſequium admovit; alios militiæ Rhodienſi adſcripſit; nonnullos domus curæ ſervavit. Similiter et feminas nonnullas perpetuæ virginitatis voto, probatis in Religionibus initiari curavit, alias laudabili matrimonio adjunxit.

Hunc autem, de quo dicturi ſumus, Joannem Baptiſtam patrem tuum, tertio ex maribus loco natum, indolem ejus egregiam cum prævidiſſet, & rem quantamvis arduam ad peragendam aptum, decrevit legibus, civilique Juri mancipare. Cumque adeptis Grammaticæ documentis, ludum Juris ingreſſus fuiſſet, adeo illi incubuit, ut multos, qui ante ſtuduerant, ingenio & aſſiduitate præcederet; quæ ea fuit, ut per ſe, ut mos erat, Profeſſoris dicta perſcriberet tanta diligentia, ut ne ſyllaba quidem excideret. Nihilominus inter tot difficultates Officium Domini edidicit, adeoque perſolvit, ut deinceps inter tot curas lætas adverſaſque, dies non exciderit, quin memoriter id celebraverit. Inter contubernales ejusdem profeſſionis ea humanitate, morumque facilitate vivebat, ut multos advenas ad ſui conſortium evocarit, repetens illis, ſi quæ forte ex lectione non intelexiſſent; eoſque a laſcivis improbiſque moribus non minus oratione, quam exemplo, amovebat. Ipſe adolefcentulus cum eſſet, penitus uni ſtudio ſe addixit: nihil, quod illud interrumpere poſſet, nec animo, nec opere meditabatur. Hac igitur aſſiduitate, & morum continentia effecit, ut ante ſperatum tempus doctorari dignus haberetur. Quare Patres, quibus hoc munus incumbit, reſpectu magis ſcientiæ, & ingenii acuminis, quam ætatis, Doctoratus illi tribuere inſignia, approbantibus cunctis, qui ex Collegio erant, aſſerentibusque neminem ex Gymnaſio Bononienſi, aut quovis alio loco, tantam juris ſcientiam attuliſſe, quan-

Digitized by Google

quantam hic Neapoli ſibi in Patria comparaſſet. Illico acceptis inſignibus, & fama pervulgata, Patronum & Advocatum ſe litigantium præbere, clientumque multitudo memor celebrati ſtudentis nominis, ad eum venire ſtuduit, ſuamque operam poſcere. Qui nullius rejecto patrocinio (modo cauſam juſtam afferrent) illos ea fide ac diligentia defendit, ut raro, aut nunquam ſententiam ſuis adverſam partibus retulerit. Quin et ſi forte litem aliquam in Fiſcum protegendam deferrent, ea conſtantia & moderatione tutabatur, ut nec Fiſci tutores gravari poſſent importunitate aut inſolentia, nec Clientes, quin diligenter viriliterque ſuam rem defenderit. In dies magis magiſque ad eum turba confluebat, tum cognita hominis peritia & ſedulitate, tum propter ſalarii modeſtiam; quibus rebus evenit, ut multi, non tamen litigantes, illum annua mercede ad ſortuitas lites ſibi paraverint. Erat enim ei ingenii facilitas, eloquiique affabilitas, ut non modo iis, quos defendebat, ſed etiam quibus adverſabatur gratus eſſet, etenim omni convicio in diſputando abſtinebat. Sumebat autem inopum cauſas gratis, agebatque non minori ſtudio, quam divitum, imo attentius, cum mera caritate facere, & talibus ſua opera jus dici ſummopere lætaretur. Functus eſt Patroni munere aliquot annis, quibus rem ſuam augere cœpit; ſed nomen magis augebatur. Suas fortunas, & inſignia fore majora ſperans, patrimonij ſortem germanis donavit; & ne ſorte exheredatus videretur, domus, quæ communis erat, portiunculam retinuit, quam deinde omnem ſibi vendicavit. Hoc in ſtatu, ne propter ætatem forte laſciviret, & cura domus a ſtudio & protectione indigentium evocaretur, tempeſtivum viſum eſt uxorem, quæ rem domeſticam curaret, & ſe liberiorem ad negotia præſtaret, jam ducere. Dixit enim Liviam Caracciolam nobili genere, honeſtiſque parentibus natam, formam abſque honeſtatis præjudicio præferentem.

Rex ergo cum cognoviſſet, hunc tam abſtinenter fideliterque advocationes peregiſſe, ſummamque diligentiam, juriſque peritiam in homine intellexiſſet, ſimul memor paternorum obſequiorum, quæ ſectari filium videbat: ſategit, illum in Patres ſupremi Conſilii, quamvis juvenem admodum, moribus tamen & ſcientia provectum, cooptare: quod profecto feciſſe, experta induſtria & ſeveritate, nunquam pœnituit. Fuit inter collegas etſi junior, non tamen auctoritate & gratia minor, quas ſumma illorum benevolentia augebat. Quippe ſi quid cum Rege tranſigendum ſo-

re, unus erat, qui pro multis intercederet; & aut nunquam; aut raro, quæ postulasset, ei negabantur: ea vero modestia poscebat, ut magis collegas negatæ rei lætitia afficeret, quam mœstitia contristaretur. Lætabantur plurimum plerique litigantium, qui suas causas illi delegatas cognoscerent; pro comperto enim habebant, nulla vi, non precibus, nec etiam præmio a rectitudine diversurum. Insuper videbant, qua vigilantia, studioque curaret, ne lites diutius protraherentur, adeo sibi commissis omni nisu incumbebat, ut brevi expedirentur, parcere intendens labori & impensis disceptantium. Sæpe prævidens prolixitatem rei, dubiamque causam non tam cito finiendam, modo hunc, modo illum adversariorum dubio eventu deterrebat, modo inconstanti specula animabat, eorumque arbiter ac mediator conventionis existebat, quæ citra ambitum & corruptionem agitare animadvertebatur.

Cum ergo viri satis perspecta doctrina & integritas esset Principi, illumque aliquandiu summa cum laude sua perfunctum esse munera, dispexisset, naturamque & mores majoribus apta rebus; statuit magis arduis negotiis occupare. Intelligebat enim, multos sua sub ditione, qui Consiliarii boni futuri essent, raros autem, qui legationes, & Principum disceptationes fideliter sciteque tractare possent. Itaque cum inter se, Cæsaremque incidissent, quæ disceptanda & decidenda forent, & propter magnitudinem personarum, distantiamque locorum coire non possent, esseque intermedio opus, hunc elegit, quem ad Cæsarem destinavit, fretus fide, industria, sagacitateque hominis. Quod cum ad peragendum se accingeret, nonnullos e Collegio vetustiores discessum suum audivimus mœstissime conquerentes, hunc patronum Senatu (sit quantavis causa) tunc adimere, maxime autem adversus Consilii Præfectum, qui cum aliquid privato loco licentiosius, citra reliquorum judicium, deliberare vellet, hic ille erat, qui occurrere, & vota communia asserre auderet, ejusque voluntati refragari. Admisit igitur eum Cæsar grate & benigne. Scripserat enim nuper ad eum Rex, mittere ad se hominem secreti continentem, & relationis fidissimum; velletque ei credere & fidere: quod profecto experientiam nactus fecit. Etenim apud illum rem injunctam scite soleterque tractavit. Quid autem id fuerit, nondum promulgatum. Audio hoc tantum, quod utrisque Principibus fideliter inserviverit, animosque illorum concordes effecerit. Dum illic esset, nascitur domi filia; reliquerat enim gravi-

dam

dam uxorem; quæ Iſabella appellata eſt, de cujus honorabili matrimonio ſuo loco dicetur.

Perfectis, quæ apud Cæſarem agenda fuerant, in Pannoniam perrexit, ſalutaturus Reginam Ferdinandi Regis patris nomine, illiuſque ſtatum perveſligaturus; ſimulque ſuſpiciones, quæ inter Pannoniæ Regem, Cæſaremque oriri videbantur, priuſquam inoleſcerent, in diſcordiamque progrederentur, extingueret: quæ omnia bono conſilio, ſimulque eventu ſucceſſere. Dum in Germaniæ partibus adhuc eſſet, evenit, ut Ferdinandus Rex ſuum obiret diem, revocatusque ab Alphonſo illius ſucceſſore, Neapolim rediit, ſuitque inter ipſius Conſiliarios aliquandiu. Cum vero fama, quæ Ferdinandi tempore pervenerat, jam crebreſceret, & quaſi pro comperto haberetur, Gallorum Principem ad perdendum eum ſe accingere, confœderatis ſibi Italorum plurimis; nec dum noſceretur, quidnam Veneti acturi eſſent; audierat enim ipſe Alphonſus reſponſa Regum, & Potentatuum ſuper hoc bello ambigua, pæneque infida: viſum eſt ergo ad Venetos, nondum tentatos, Oratorem mittere, an poſſet eos ſibi adjungere ad inhibendum Gallorum tranſitum, & quem conſultiorem, quam Joannem Baptiſtam Spinellum mitteret, non invenit. Qui habito pro temporis reique anguſtiis commeatu, Venetias pervenit, ibique a Senatu honorifice admiſſus; audierat enim hujuſmodi viri probatum nomen. Ubi cauſam Principis ſui mittendi eum expoſuiſſet, rationes inſuper addidit, quibus oſtenderet, quam non modo honeſtum, verum etiam neceſſarium ipſis Venetis ac Regi ſuo fœdus adverſus Gallos inire. Quippe junctis viribus facile defuturum animum Gallo Italiam invadendi, & ſi forte auſu ſuperbo, ne dicam temerario tentare præſumpſiſſet, rem ei male infauſteque ceſſuram. Sin vero diſparatos noviſſet Italos, res privatas curare, animoſque ſumere; cum pro comperto haberet, diſjunctim ſingulos proſterni facillime poſſe; nec eos fallat, quod tantum adverſus Neapolitanorum Regem ire ſe dictitant, velut ad Regnum jure ſibi debitum; facile futurum, Regem ſuis tantum viribus obnitentem profligare, Regnoque exigere; non tamen hujuſmodi victoria ſe contentum fore, quin & reliquam Italiam ſpe conciperet. Exiſtimare deberent, Gallorum vim & propinquitatem perquam pernicioſam ipſis reliquiſque etiam, qui Gallo faviſſent, futuram. Nec preſumant, geſturos ſimile cum Gallis bellum, quod hactenus cum Italis, quo prolatando ſe ſubinde auxerint; ſed expendant, quanta ſit Gallorum vis, & oppor-

tunitas nocendi, ni copulato milite, qui satis superque esset; obviaretur. Iis & pluribus aliis rationibus ad fœdus perducere non destitit. Tandem cum mensem hoc in negotio trivisset, nihil certi ei responsum est, sed per ambages trahebatur. Itaque ad Regem revertens, pro auxilio consilium retulit. Suadebant enim Veneti proprias experiri vires, quas quando non sufficisse prospicerent, tunc se indemnitati Regis, & reliquæ Italiæ provisuros.

Interea Gallorum adventus certius afferebatur, Regemque cogebat quamlibet viam, qua se tantas adversus vires, quas etiam affines sui augebant, tutaretur, periclitari. Visum est iterum ad Venetos tentatum mittere, an prospectis Gallorum jam ingruentibus copiis, veriti, ne præsenti opportunitate omissa, & ulterius profligatis rebus, reliqui non satis essent ad obsistendum hosti, consilium mutassent, & ita ad fœdus pervenirent. Ex omni igitur Aula hunc, cui hoc munus injungeret, elegit, experientia bene actæ apud eosdem pridem Legationis motus. Quo cum perveniisset, reperit eorum Senatum pæne dissidentem, partem nutu magis quam suffragiis jungere se fœdere Regi, ad distringendum, aut arcendum Gallorum conatum optantem; partem autem maximam & præpotentem, meditantem solita astutia, & neutri se applicare volentem, nihil interim præcise, quod referret suo Principi, Oratori dabant; quos ne penitus averteret, credere, & spem bonam de ipsis concipere simulabat. Idem ut faceret, Regi suo subinde scribebat, quoniam maxime statui suo conduceret, & facile diu nutantes hactenus Venetorum animos ad se versurum speraret: tali arte, quemadmodum ad suum votum allicere nequibat, ita ne ad Gallos declinarent, non sinebat avertere. Aderant eorum Regis Oratores, idem opportune expostulantes, magnisque pollicitationibus invitantes, illos ad se trahere non desistebant.

Interea Gallorum Princeps ingenti numeroque, & robore exercitu Regnum petebat, quotidie se augens Italorum, & deficientium ab Alphonso auxiliis. Nec pauci erant, quos metus id sequi cogeret, jamque etiam Florentini illi se addiderant, & cum Ferdinandus, quem pater in Flaminiam ad obviandum hosti præmiserat, cum antesignanis Gallorum infauste pugnam tentasset, hoc cognito Alphonsus eum revocare statuit: prospicienſque exitium sibi imminere, decrevit Regnum, quod suum erat, Ferdinando filio relinquere; ipse in Hispaniam privatam vitam aduras

abi-

abire. Quo peracto, Ferdinandus hujuſmodi adepto Regno, hoſti, cui par non erat obſiſtere, cedere neceſſe habuit, tentatiſque nequicquam conditionibus, Neapolim reliquit, quam mox victor ingreſſus, atque potitus eſt. Scio autem hos ad noſtrum Regnum eventus nunc adverſos, nunc ſecundos ad Hiſtoriam pertinere; quare ad illos, qui diffuſius ſuoque ordine ſcripſere, noſſe cupientes remitto. Mihi hæc inferre viſum eſt, ut fide, perſeverantiaque hominis clarius nihil eſſe oſtenderemus. Qui cum probe calleret, partes profligatas, Regem fugatum, Patriam, domum, juvenemque uxorem, infantes liberos in hoſtium devenisſe manus, & ipſe Venetiis exul potius, quam Orator videri poſſet; non deſeruit tamen præſtitam fidem conſtantiſſime ſervare, & Regatum Regium in tam modica re præferre, parteſque pro fortunæ iniquitate fulcire. Qua in re ſeu ſagaci prudentia, ſeu nimio partium affectu, ea promtitudine animi rem exacti Regis curavit, ac ſi pro certo haberet, mox Regnum ad Aragonios rediturum. Erat Venetiis Gallorum Orator, cui bene nota erat hujus noſtri prudentia & virtus, quando uterque ſuo Regi Venetos addere procuraſſet. Hic non ſemel ad Regem Gallorum, ejuſque Conſilium ſcripſerat, eſſe Venetiis Joannem Baptiſtam Spinellum, virum induſtrium ſagacemque, qui optima ſinceraque fide rem ſui Principis ageret; proinde maxime Regis intereſſe hominem talem ad ſe ſuaſque partes quavis arte traducere. Quod profecto facere non deſtiterunt, ſperantes fortunæ favore id facile futurum. Quare modo per privatos, modo per Cardinalem tunc Conſilii Præſidem, admonere, exhortari amicos, affines, aliaque neceſſitudine conjunctos, vellent cum effectu ſcribere illi, quæ utilitas ſibi foret, deperditis Aragonenſibus, ad Gallorum Regis obſequium ſe conferre; quod honeſte fieri poſſet, pollicentem ſibi non modo indulgentiam, & præteritorum oblivionem, ſed honores divitiaſque, ac locum inter ſuos honeſtum. Hæc omnia ſumma fide a ſuis illi perlata ſunt, quibus non illico reſponſum dabat, diſſimulans eorum nuntios; interdum vero adeo caute ambigueque reſpondebat, ut ſpeculam illis daret, minime tamen conjectare poſſent, ſe a devotione ſuorum Principum declinare. Verebatur enim, ne ſuos, qui male a Gallis habebantur, protervo nuncio exaſperaret, magis tamen, ne fidem labefactare viderentur. Itaque inter utrumque penſitatis verbis ſe librabat. Evenit tandem, quod ipſe prædixerat, ut etiam iis, qui adventus Gallorum cauſa & fautores fuerant, adepto Regno, terrori & for-

Digitized by Google

formidini deveniſſet. Quare ad exigendum Italia Gallorum Regem, Potentatus Mediolanenſis, & Venetus fœdere junctî, copias ſuas eodem loco coegerunt. Quæ cum Carolo Regi reſcirentur, approperat in Galliam reverti, veritus ne ſibi reditus intercluderetur, in dies augentibus, in unumque ſe cogentibus fœderatorum copiis. Relicto Neapoli præſidio, exercitus magnam partem ſecum duxit, citato gradu Italia evadere feſtinans. Occurrere ei hoſtes, ut diſſiparent; cumque iis apud Tarum fluvium certatum, utrinque acriter dubioque Marte, & ex utroque exercitu multis deſideratis, diſceſſum eſt. Conſtat enim, eo in prœlio Regem Gallorum etiam alacris militis navaſſe operam, & ſic ſuum peregiſſe iter. Rumor erat, illa in pugna Venetorum militem viriliter pugnaſſe; & ſi complices idem feciſſent, forte Gallus minime evaſiſſet. Credo enim hoc legentem, quemadmodum geſtum ſit, noſſe cupere, quem, ut ſuperius ſcripſi, moneo Hiſtoriam petere. Ego autem meum ſervabo tenorem, viri hujus acta deſcribere, quoad etiam facere poſſim; reliqua tantum leviter, & ubi neceſſarium duxerim, attingere.

Ferdinandus cum Siciliæ exularet, hunc Legatum ſuo nomine Venetiis eſſe voluerat. Cum vero poſt diſceſſum Gallici exercitus Neapolim repeteret claſſe numero navium præſtanti, militum autem & propugnatorum manu a Neapolitanis benigne quidem receptus eſt, deſiderio *ipſius*, ſed magis odio Gallorum, nec minus deſidia, inertiaque præſidii. Trahit me extra propoſitum facti neceſſitas, poſſe hoc in reditu Ferdinandi dicere, quam minime & numeri, & conditionis homines fuerint, qui facinus captarint, quantumve in operando reliqua multitudo perpeſſa ſit, quamve multi nobilioris notæ, qui voluerint rem ſibi adſcribi, præmiaque donari, facti periculique penitus extorres. Hæc pauca, veritus fœdum ſcribentium adulationis vitium, ſæpe vel mendaciis potentioribus placere ſtudentium, & mentiri minime timentium. Receptus igitur Neapoli Ferdinandus, Arces, quæ in Gallorum erant tutela magno præſidio munitæ, obſidebat, ex quibus quæ Nova appellabatur, quotidie & mari per lembos & myoparones infeſtabat Urbem; & terra per equites, qui in Arcem ſe receperant, itinera & commeatus obcludebat. Has Regis, & Civitatis anguſtias prænoſcens Orator Venetiis, exorare exhortarique Dominationem illam, vellet prope effœtis Ferdinandi rebus ſuppetias ferre; & ne ſineret, quod tanto ſumtu laboreque ad exigendum Italia Gallorum Regem impenderint, nunc recuperata

Nea-

Neapoli, incassum recidisse. Sic sua persuasione rationibus munita exegit, ut classem triginta triremium mitterent, proque sumtu apparatus classis, ejusque quotidiano impendio, quædam oppida Apuliæ Adriatico imminentia illis pignori dederentur, pacto, ut post pacatum Regnum, computatis quæ erogaverant, & per Regem redditis, tenerentur & ipli similiter pignora restituere.

Dum hæc geruntur, præsidium noscens, Neapolim defecisse, Arcemque Novam a Ferdinando obsideri, relictis, quæ instabant, Urbem recuperare, aut Arcem obsidione liberare contendunt, adjunctis plerisque Proceribus suarum partium studiosis, qui non ad præsium, sed magis ad direptionem, prædamque Neapolitanorum invitabantur: quod volenti accepere animo, secutique sunt. Adventantibus illis, Ferdinandi copiarum pars non infima apud Hebulum, ut transitus inhiberetur, occurrit, ubi male ab Agoniis pugnatum. Profligati omnes, captique sunt quam plurimi, reliqui divisi fugam petivere; integrum hostibus suum conficiendi iter remansit. Quod cum Venetias fama pertulisset prius, mox notitia ad Oratorem pervenisset, quanto in discrimine Regia res esset, ut una, & Urbs tutaretur, & Arcis obsidium non laxaretur, quo, ut par erat, & re ostensum est, hostes statim perventuros esse: glisscentibus partium malis, cura laborque ipsi non minimum accrevere; oportuit, novis & magnis exposcentibus rationibus, Venetos quasi cogere iterum Regi, Neapolique prope obsesso subsidium delegare. Decrevere igitur illius opportuna sedulitate Mantuanorum Principem eorum ducem, equestri pedestrique manu ad Regem mittere. Qui cum venissent, offenderunt hostem, Neapoli nequidquam tentata recessisse, Arcemque, ut repererat, obsessam reliquisse. Hæc inter non satis illi fuit labore & periculo Regi suo opitulari; verum & facultatum, quod inerat, exhibere; aureorum enim duo millia, quæ sibi ad augendam vel sublevandam fortunam servaverat, promte, ut se juvaret, Regi ipsi danda curavit: qua postea gratitudine Rex illum duobus oppidis Calabriæ donari voluit. Ferdinandi res, & hujusmodi, & aliis auxiliis plerisque in dies prævalebant. Verum cum in persequendis hostibus, illosque obsidendo in valetudinem malam incidisset, nolletque ab eorum insectatione desistere, quoad deditos emitteret, minime eam curare duxit: quapropter insuperabilis facta est, delatusque Neapolim semivivus, biduo ibi mortem obiit, magno civium & alumnorum mœrore, sui autem summa expectatione.

Ut

Ut ergo decreverat Orator Venetiis ad Regem redire, cum Neapolim veniſſet, Federicum Ferdinando fratris filio ſucceſſiſſe reperit, a quo benigniſſime ſuſceptus, & ob tot labores, quos in ſuæ familiæ obſequiis profectibuſque impenderat, ſummopere laudatus, quodve tam diuturnam, velut exilium a patria, conſanguineorum abſentiam toleraſſet, ac ſatis, & tempore, & rebus, tres annos (tot enim Legatus Venetiis exſtiterat) gratiſſime commemorans, optare ſe ait, illum deinceps Aulæ laterique ſuo inhærere, ut diligentiam, caritatemque Aragonum, quam per ipſum foris exhibitam noviſſet, etiam domi experiretur. Speraverat enim ad quietem laborumque præmia perveniſſe, pacato jam Regno, & Federico poſt mortem Ferdinandi, citra diſſidium, aut tumultus in Regem aſſumto: quod ſecus contigit. Decreverat enim vis illa, quæcumque ſit, variis & doloſis artibus Regnum labefactare, Regemque exigere; cujus rei anxium ſuſpectumque, amicorum, quibus fidebat, ambiguitas reſponſionum, quin etiam Pontificis verſutia, qui nuper eum coronaverat, reddiderat, adeo ut omne Regni tempus ſollicitus incertuſque exegerit, nec pro animi ſententia adminiſtrare potuerit. Haud deſuit Joannes Baptiſta ſic perplexo Regi, ac ſtatui ambiguo pro viribus opitulari; quotidie enim proviſiones, ut res dubiæ poſtulabant, in Conſilio ſuggerebat tales, quæ nec omnino ſuſpectos, nec adeo fidentes propalarent, ut libenter dolo machinantium ſe ſubmitterent. Hac itaque arte, donec unione illa in Regem coacta, prorumperent, & palam hoſtes ſe oſtenderent, qui hactenus tam ſubmiſſim, & ſine arbitris facinus meditati fuerant, ſe libravit.

Jam copiæ validiſſimorum Regum Regnum, terra marique undique cinxerant, Regemque coartaverant, ac velut in arcem in Campaniam adegerant, eoque ad expugnandum properabant. Cumque vires Federici hoſtilibus longe inferiores eſſent, nec ſubſidium, qua ſperare poterat ex parte, inerat: in conſultatione erant, qui ultima experiri conſulerent, quorum præcipua erat ſententia. Sed quoniam decernere acie militum paucitas inhibebat, decretum eſt Civitates ad obſidium communire. Hoc in apparatu videre erat ſolertiam curamque hujuſmodi hominis, Spinelli ſcilicet, modò in mœnibus ſarciendis, modò agreſtibus, ut ſe ſuaque Urbi ingererent, cogendis; nunc rei frumentariæ, & victui inſtare, nec jumentorum pabula negligere, locoſque idoneos ad horrea & ſenilia etiam deligere. Inſuper tum publice, tum privatim hortari ad molas, piſtrinaque molienda, ut ſi

forte

forte exterius frumenta moliri nequirent, eſſet intus conficiendi facultas. Hæc cum quidam amicorum proſpicerent, tam accurate ſolerterque parare, jocando ad eum, *Actum agis*, inquiunt, *ut quibus campum conceſſimus, eorum ferre obſidionem valeamus, civibus interea omni ſpe auxilioque deſtitutis*. Ad quos ille, *id ſe agere bene memorem fortunæ caſuſque volubilitatis, quæ omni in re, præcipue in bello, oſtenditur. Quoties enim effœtas res vidimus, ſubitaneo & inexpectato eventu, aut morte alicujus, aut ob quid ſimile, vires reſumſiſſe, optatumque ad finem deveniſſe?*

Capua igitur expugnata, hoſtiliterque direpta, atque omni ex parte peſſime habita, decrevit Rex, conditionibus nequidquam tentatis, Neapolim Arceſque hoſti tradere, ſe interim Ænariam recipere, ſumturus ibi de reliquo conſilium. Multa eum Nobilitas ſecuta, ſpectataque inter comites Joannis Baptiſtæ Spinelli fides & Principis affectio, relinquentis uxorem, liberos, denique cuncta in manibus hoſtium, & eorum hoſtium, quorum primam inſenſam immanitatem, ſævam & diram hoſpitalitatem cognoverat, quamque inhumane familiam ſuam tractaverant. Quid autem expectandum eſſet, cum hoſtes iratos ad ultionem acceſſiſſe hominis adeo obſtinate ſibi malevoli prævideret? Attamen inter neceſſitudinem, & caritatem, primas tulit affectus & devotio partium. Accidit etiam, ut ſarcinulæ, quas ſecum neceſſario delaturus erat, ad naves cum tranſportandas præmiſiſſet, diriperentur diſtraherenturque. Civitati enim nullus erat Magiſtratus timor aut reverentia, utpote in ſimilibus evenire ſolet, & graſſabatur libenter Populus. Is itaque naufragus ad Regem Iſchiam pervenit, ubi tantiſper moratus, donec Rex, impetrata a partium Ducibus venia, ut ei integrum eſſet, uti exactorum mallet Principum accedere, elegit Gallorum Regem, præterito Hiſpano, etſi gentili. Scio autem a multis deſiderari, cur potius hunc, quam illum præoptaverit; quibus me ſatis reſpondiſſe arbitror, ſemel & iterum, ut Hiſtoriam iſta ſcire cupientes adirent; mihi vero utinam Joannis Baptiſtæ mores, & geſta ſolide ſcripſiſſe contingat. Ceterum ea tantum levi manu tangam, quantum ad inſtitutum meum neceſſaria fore cognovero.

Rex interim mari Gallias ad earum Regem contendit nobili comitatu, quos inter Spinellus hic fuit. Maſſiliam primo pervenit, ubi nil proviſum ſibi, aut comitibus invenit. Inde cum Aulam Regemque venerari ſtatuiſſet, jumentis aut præſtinatis, aut

conductis ire necesse habuit; ad quem cum pervenisset, nihilominus haud liberalius acceptus; ab ipso enim, quo appulsus die, suis se alere impensis coactus est. Nondum sibi statutum erat annuum salarium, quale nec ut ipsius Federici fortuna indigebat, nec Gallorum Regis opes & potentiam decebat. Erat enim maxima ejus comitum spes, credentium Federicum ipsius Gallorum Regis auxilio in suum Regnum restituendum.

Ita se habentibus rebus, seu Principis Gallorum fuerit inventum, Ferdinandum, quem nuper Federicus pater Calabriæ Ducem nuncupaverat (prærogativa honoris est successuri Regno) seu patris voluntas, ad se in Gallias avertere, qui aptius id ageret, Joannes Baptista Spinellus præ cunctis eligitur; qui citissime ad iter se præparat, magnoque labore tabellarii celeritate id consecit. Ingresso igitur Regno major illum periculi cura incessit; quippe Gallorum partibus, & æque Hispanorum suspectus admittitur. Galli enim vetuerant Neapolim ingredi. Aderant e nostris delatores, qui veniisse illum, aliquid novi moliturum, autumarent; ideoque observandum diligenter, quibuscum versaretur; quique ad eum scribant, literasque recipiant, perscrutandum. Quin etiam suas amicorumque domos ambiendo circuibant, an forte furtim subintrasset. Etsi non ea a Ferdinando Consalvo Hispanorum Regis Duce maximo receptus est acerbitate, minime tamen benigne. Erat enim Tarentum, Ducemque Calabriæ obsidione premens. Qui cum præscripsisset, eum loco sistere, neve ulterius Tarentum versus pergeret, præcidit illi omnem viam, qua per literas aut nuntios mandata patris ad obsessum Ducem perferri possent. Inter consalutationes, quas cum Consalvo egerat, non sinere Ducem ad patrem, etiam tradito Tarento, reportare novit: unde clarius, quod suspicabatur, cernens, & Hispanum, & æque Gallum cupere Calabriæ Ducem in suam quemque ditionem pro pignore & obside pertrahere, frustraque amplius morari, ea celeritate & labore, quo advenerat, in Galliam reversus est, nuntians Regi, quo in statu rem reperisset, quove reliquisset. Postquam vero Gallorum Rex Mediolanum, quo eum Federicus maxima spe secutus fuerat, reversus fuerat, ipsumque reduxerat exutum expectatione recuperandi Regni: hoc etiam comites tam nobiles dispicientes, & frustra tempus sese consumere, nec usui Regi suo esse, sed potius oneri propter subventiones, quas illis tribuere necessario haberet e salario tam modico illi provisо, Federicum unanimes adeunt, causamque

suam

ſuam mœſti dolenteſque exponunt, quemadmodum ipſius caritate & obſequio domos, facultates, denique & Patriam, quæ cuncta complectitur, reliquiſſent, & res eo perducta ſit, ut ipſi inutiles oneroſique forent: ne deſides inerteſque illius res conſumerent, optare Majeſtatis ſuæ grata venia Patriam, reſque ſuas reviſere. Sin autem ſibi ſtatus aliquid emolumenti foret, perlaturos in mortem omnem laborem periculumque, quemadmodum ante digreſſum ſtatuerant.

Ad quos Rex pauca, ſpiritum intercludente ſingultu, & oborientibus lachrymis, noſſe ſe vera & debita poſtulare; cui ſi verecundia non obſtitiſſet, tam bene de ſe meritos dimittere, profecto obviam obtuliſſet. Sed quoniam honeſta eorum poſtulatio frontem deterſiſſet, benigne commeatum dare, illoſque ſuum conceptum proſequi ſuadere. Dolere ſe pro iniquitate fortunæ, nequiſſe eorum meritis, & ſuæ gratitudini ſatisfacere. Nihilominus ſcirent ob obſequia, & exhibitam in ſe caritatem, ſemper obgratum fore & eſſe: quod ſequentis fortunæ eventus oſtendat. Sperare tamen ob gratiam Gallorum Principis obtenturum, ut Regno Præſidentibus mandando ſcribat, domos & reliqua, quæ eorum fuerant ante ſequelam ſui ipſius, integra perpetuaque fide reſtituantur; nec crimini aut invidiæ habeatur eorum obſequium. Quo obtento eos dimiſit non citra utrorumque mœſtitiam, & etiam lachrymas, quorum maxima pars ad propria remeavit. Paruit etiam Magiſtratus, viſis Gallorum Regis literis.

Hic tamen noſter Joannes Baptiſta, velut oblitus ſuorum, Neapolim adire neglexit, auſu ſecundum multos temerario, juxta ſucceſſus provide judicato. Sed poſtquam ſub Federico ſectari Aragonios non dabatur, audiens, inter Gallorum Ducem, Hiſpanumque bellum obortum diviſione Regni, & quod tam dupla verſutia ſecreto paraverant, tam cito publice atrociſſimi belli cauſa extiterit: adiit Ferdinandum Conſalvum Hiſpanorum Ducem maximum Baroli velut obſeſſum, ſe ſuoſque tuentem; erat enim hoſti viribus impar. A quo benigne gratanterque ſuſceptus, velut frugi, partiumque ſuarum devotiſſimus, negotiiſque opportunis adſcriptus, qui vero non ut uni tantum miniſterio deputatus ſingulariter inhærebat, ſed omnium munerum participem ſe præbebat. Aderat enim, ſi quid de ſtatu belli conſultaretur, ſi quid de reſarciendis mœnibus, foſſis muniendis, emittendis exploratoribus, dandis recipiendiſque literis; denique Dux ipſe nil agere, nil decernere, eo inſcio vellet; probaverat enim, eſſe illum ſum-

ma fide providaque solertia, & gestis. Sic itaque ibique curanti, aut curantibus inhærenti, singulare & necessarium onus imponitur. Laborabat autem exercitus annonæ penuria, utpote cui nisi navibus, & eminus advehi posset. Terra enim hostis potiebatur, & maria sæpe, ut evenire necesse erat, aut tempestatibus, aut hostilis classis objectu, intercludebantur. Huic ergo curæ potissimum incubuit, modò hortando cives velle credere frumenta viritim, redditurus mox appulsis navibus, quas in dies opperiebatur, modò publice monendo inter se cogere frumentorum numerum, quem uno in loco congererent; optime enim callere, quis eorum necessitati & discrimini commodius subvenire posset. Hoc suo Ducisque nomine polliceri, nemini in eo damnum perventurum, & Ducis gratiam cumulatius adepturos, protegentis non minori caritate Barolitanos, quam suos milites. Sic pluribus mensibus eo modo curavit, humaniter scilicet, nemine plusquam libuerit conferente. At cum pelagi sævitia naves Barolum commeatum appetentes adverso vento alio delatæ forent, tunc urgente famis periculo, & inde imminere tumultus, expedire visum est, curiosius, severiusque quam hactenus rem agere. Edixit enim, ut unusquisque quantum frumenti penes se esset, scripto ostenderet. Vellet equidem Dux, quamdiu exercitum populumque alere posset, agnoscere. Interim a nemine vi extorqueri, ne granum quidem permitteret. Hoc sub metu Oppidanos a fraude detineret, liqueretque frumenti summa. Revisenti insuper attentius frumentariam rem evenit, reperiri Syros aliquos, seu vetustate oblitos, seu dominorum cura suppressos, quibus recluſis tritici copia ingens effossa est. Auctо igitur frumento, viritim per magnorum contubernia, & per singulos milites tanta moderatione, & respectu id impartiebatur, ut & ingenti contubernio, & singulorum indigentiæ provisum videretur, esseteque omnibus satisfactum, ipsisque attestantibus Ministris diligentiam ac providam sui curam. Hoc frumentarium ministerium, quoad exercitus Baroli mansit, non minus fideliter, quam sagaciter peregit. Unde ad hanc usque diem ejus observantia promissorum honorifice prædicatur, nihil non observatum polliciti, nec minori laude apud milites extollitur. Audivimus ipsi, solertia Joannis Baptistæ Spinelli, secundum loci & temporis angustias, victum abunde habuisse, & quod difficilius, sine rixa aut tumultu, quem plerumque panis indigentia generare solet.

Profligatis apud Ciriniolam Gallorum copiis, eorumque Duce,

ce, & maxima parte militum cæſis, cum victore exercitu Neapolim venit, ubi ſuos a Gallis peſſime habitos reperit. Exſtiterant enim, e noſtris potiſſimum, illorum res indagantes, quotidie virum incuſantes, uxorem familiamque vexantes, remque diſtrahentes. Hoc enim erat, quo maxime juvare partes valerent, deferre illos, & in ſortes adverſæ factionis obrepere, indagatores rapinarum, ut ipſi portiunculam nanciſcerentur. Hic licet viri hujus benignitatem advertere, qui cum aliqua a raptoribus reſtituerentur, & bene noſſet ſibi plura reſervaſſe, nil ulterius repetiit. Inſuper quos ſua ſcelera carcere occluſerant, ſuo favore ac precibus, ut ſolverentur, obtinuit: & hi quidem inſenſiſſimi uxori & familiæ exſtiterant. Is in convertendis rebus ſuis, quas diſſipatas & laceras hoſtium avaritia & odio repererat, tempus impendebat, negotia Curiæ, & Ducis ſedulitatem non relinquens.

Interea reliquiæ fugati exercitus Gallorum in agro Cajetano (quoniam Civitas pro eis ſtabat) ſe coegerant, ut adveniente auxilio, quod Roma ſcribebatur, iterum in nos ſuperato Liri arma inferrent. Quod noſcens Ferdinandus Conſalvus Hiſpanorum Dux, raptim eductu exercitu, quem in hyberna remiſerat, citeriorem fluminis ripam occupare contendit, ut hoſtem ingreſſu arceret. Dum ergo exercitus e regione ſtarent, flumine eos dividente, erant Ferdinandi copiæ propter hyemis ſævitiam, & proximi belli pleraque incommoda, exhauſtæ multis neceſſariis, præcipue tamen nummis indigebant. Fiſcus enim vacuus erat, & vectigalium reditus propter motus plerumque ceſſabant. Reſtabat modo Neapolis cum adjacentibus oppidis, unde aliquid iſtiuſmodi defectui ſubveniri poſſet. Delegatur hæc provincia Joanni Baptiſtæ Spinello, utpote qui annonæ anguſtiis Baroli tam ſagaciter juſteque opitulatus fuerat; ſatageret, unde pecunia exigi poſſet pro exercitus ſtipendio. Quam rem, etſi difficilius cognoverat, nummos exigere a divitibus, nondum pacatis rebus, quam ab aratoribus unius oppidi triticum, nihilominus bono animo & ſpe aggreditur. Primi, quos ad præſtandum invitat, fuere ditiores, ſponteque oblaturi, ſummamque collegit, quam ad Ducem in caſtra deferens, ſubſidium fuit militi, & ſpes ſubinde ſe oblaturum. Revertens non deſtitit a pecuniosis, & qui commodius præſtare poſſent, exigere; fidem Ducis, ſuamque obligans ad præſtitutum tempus redditurum: & hoc modo quantitatem ad Ducem miſit. Ipſe autem reſtitit ad amplius requirendum. Inſtabat autem quotidie Ferdinandus Conſalvus denarium expoſcere, & ejus penuriam

riam exponere, ſummoque diſcrimine illius defectu rem periclitari. Quod oſtendens, ac Ducis exercituſque periculum obteſtans, minaſque poſtulationi addens; memorem quoque fore Regem eorum, qui mutuo rem ſuam darent, annuens: non paucos iis verbis ad ſubveniendum compulit, & vectigalia, ſi qua hactenus libera remanſerant, obœravit: frequentius tamen verſura priorum creditorum æs ſolvebat. Hac ſolertia inſerviendi ſtudio ſingulis fere hebdomadibus pecuniarum ad Ducem ſubſidia aut ducebat, aut mittebat, donec adverſi exercitus pro ripis ſtarent, alter ut erumperet, alter vero ut arceret. Poſtea Regis felicitate, exercituſque virtute, quod ab hoſtibus timebatur, in illos decidit; tranſgreſſus enim noſter miles, deturbatiſque, qui ulteriorem ripam ſervabant, in eorum agrum erupit ſtratis fugatiſque hoſtibus, ea ſtrage, ut paulo poſt, etiam Cajèta in Ferdinandi Conſalvi ditionem evenerit.

Interea Joanni Baptiſtæ Spinello, quem præcipue Dux ipſe extollebat, memorans tempeſtivam illius ſagacitatem, contemto labore ſubſidium exercitui pertuliſſe aut miſiſſe: evenit ut filius naſceretur; quem ut compatratus neceſſitudine ſibi jungeret, eum e ſacro fonte ſuſtulit. Inſuper ut fidem illius adverſa valetudine approbaret, æger cum eſſet, jaceretque in Arce Capuana, bis quotidie eſcam a Medicis indictam, ſtructamque uxoris manibus, velut tutam mundamque ſumere procurabat. Hæc etſi frivola appoſui, non tamen otioſa, ad ſequentia legentibus. Diſcent enim non modo, quam inſtabiles momentaneique ſint potentiorum favores & laudes, verum etiam quam levi ſuſpicione, aut invidorum ſuſurro, ad odium & perniciem paulo ante laudati vertantur. Interim e Regio, & Ducali obſequio non deſiſtebat, & domui cum pro facultatibus conſuluiſſet, tempeſtativum præciſumque viſum eſt Regem in Hiſpaniis agentem convenire. Ita qui Italiam, Germaniam, Pannoniam, Galliamque peragraverat, ingreſſus eſt intrepidus iter tot æſtuoſis fretis tranandum, Occidentales plagas reviſurus, quem profecto tranſitum non citra diſcrimen timoremque peregit; eoque modo ad optatum Regem pervenit. A quo, & ab omni Aula benigne honorificeque ſuſceptus, (ut quibus conſtiterat ipſius in partibus Aragoneis affectus, inque illarum obſequiis navata egregia & utilis opera) ſalutatis reverenter Regibus vivebat. Tunc Regina cœpit ab illo percontari, ad quid tam longum periculoſumque egiſſet iter. Docuit enim Regem modum partæ victoriæ, Regnique

que ſtatum, Fiſci reditum omnem, quibuſve partibus, & veſtigalibus colligeretur, animalium paſcua, tritici extractionem, nec minus quantum e ſale, fociſque, demto quod ipſe erogatione & compenſatione donaverat, remaneret; quibus finibus Proviciæ determinarentur, earumque nomina, & ſalaria, & reliqua, quæ Regem noſſe oporteret.

Iis igitur inſtructo viſum eſt Principi, virum tam frugi ad rerum ſuarum commodum ad Regnum remittere, quem aſſidue per horas ſine arbitro colloquens, non ſolum amore, ſed etiam admiratione ſibi devinxerat. Ante ab Hiſpania diſceſſum accidit Iſabellæ Reginæ mors, cujus juſtis, æque ac Principes Regni, pullatus interfuit. Honoratus dicam, an oneratus privilegiis & Magiſtratibus ad nos pervenit. Hinc ſax tantorum odiorum, & maxime Ferdinandi Conſalvi; quippe præſciverat hæc, & ingratiſſime tulerat; erat enim perſamiliaris a ſecretis Principis, unde facile noſſe potuerat. Collatis ergo capitibus, quibus virtutes, honoreſque Joannis Baptiſtæ Spinelli inviſa erant, ut tutius id ageretur, privata in domo conſultant, quemadmodum advenienti, tot documentis, & Magiſtratibus ſuffulto, obſiſterent, & quæ afferret, irrita facerent. Non deſiſtunt per hujuſmodi lenocinii medios multos ſubvertere, eoſque ducere & parare ad illius impugnationem. Hos non adeo privati hominis odium, quam Ducis ſpes aut timor adegerat; paratafque invenit, non modo Ferdinandi operas, ſed & civium pleroſque verſutia aut livore pellectos. Ipſe nihil antiquius duxit, quam Ducem Ferdinandum humiliter ſalutare, & Regis gratitudinem pro victoria, & reliquis in ſe officiis benevolentiam nuntiare; ad quem etſi gratum benevolumque ſe oſtendere vellet, nequaquam diſſimulare valuit, quin vultu, & male cohærentibus verbis animum ſuum oſtenderet peſſimum. Sic tradidit illi officiorum ſibi a Rege injunctorum privilegia, ut ipſius bona venia exercere liceret. Acepta cuncta non reſtituit, cauſatus ineſſe, quæ Magiſtratus gerentibus officerent, quod minime velle Regem crederet: proinde illis ſe abſtineret. Hinc non deſtitit illum, tum per ſe, tum per Curias, quin etiam per Civitatis Electos exercere, & ſatagere omnem juriſdictionem auferre: quod minime obtinuit, cum magna totius Urbis contentione certatum eſſet. Viciſſim ſeniorum, & amicorum parti, ut in Magiſtratu Officioque perſiſteret, adverſabantur ex Nobilitate plerique, qui dona conceſſa a prædeceſſoribus Regibus ampliare, aut perpetuare poſtulabant præſentis Regis

Digitized by Google

gis gratia, cujus Patrimonii is Conservator erat. Quibus ingenue fatebatur, non suas esse partes, sed domus suæ, tantum dona & concessionem præscriptis conditionibus confirmare subscriptione suæ manus; nihilominus vigere hic Cameram Fiscalium rationum; staturum se illius judicio, an quod peterent, jure fieri posset: quod minime tentavere, diffisi Cameræ sententia. Multi tamen, & salaria, & quæ petierant, Ferdinandi Consalvi auctoritate allecuti sunt. Decreverat enim, postquam abrogare penitus cunctam illius jurisdictionem nequiverat, per singulos actus infringere ac delere. Crescebat in dies odium & licentia lædendi, postquam nosset Regem his insultibus & injuriis nec providere, aut remedii aliquid afferre, vererique eum ne offenderet. Unde animos illi fecerat, & Joannis Baptistæ promtitudinem sive fiduciam imminutam, incuria aut lentitudo Regis ostenderat. Has cum inter angustias versaretur, erant necessariorum sibi, & Ferdinandi Consalvi amicorum, qui illum abdicare Magistratu suaderent, si iram magni Ducis lenire cuperet; hoc enim erat illi maxime invisum, se invito jurisdictione uti. Quibus nullo pacto id se facturum respondit, ut, quod sibi Rex pro sua re injunxerat, alicujus timore desereret. Ubi vero Consalvus cognovit, hæc se impune contra Joannem Baptistam agere, & licenter multa a Rege mandata præterire, decrevit omnino illum perdere, urgentibus intimis suis; corruperat enim e servis aliquos, per quos resciret, qua hora domo egrederetur, & qua reverteretur, & an veneficia caveret escis exploratis utendo, publice tamen. Et vi in illum grassari indecorum sibi ducens, omnem perversigabat viam, qua prætextu juris in carcerem traderet; & modo ex iis, quæ in Magistratu egerat, postulando, modo Venetorum amicitiam illi objectans inquirensque, tam Regi adversam, crescente in dies nocendi odio, quod indulgentia Principis nil non audere permittebat, & nuntians, velle hinc amovere, secumque iturum ad Regem ducere.

Iterum certior factus, appropinquare sui exitium, cautumque videns suis intimis Regem adire, idque palam poscere, neque persicere tutum: statuit quoquomodo aggredi, quod si succederet, bene consultum; sin secus, ubivis honestius cecidisse videretur; posse enim alterum, Dei adjutorio, salvari, alterum vero Ferdinandi Consalvi pertinacia, quin periret, impossibile judicabat. Quotis autem diebus cum in Arcem ad ipsum ingrediebatur, votis pro reditu obligabatur. Dum hæc tristia ambiguaque meditatur, ecce febricula eum invasit: sequenti die percontanti Ferdinan-

nando Conſalvo, cur non ſibi adſtitiſſet, reſponſum, jacere ægrum: quod minime verum putans, advocatis Medicis reperit ſic eſſe, illique ſalubria pharmaca, reliquaque tanquam neceſſaria febricitantibus exhiberi. Imperavit ergo illis, ut quotidie ſtatum valetudinis ad ſe ferrent; miſit inſuper ſpecie viſitationis, ut diſcretim explorarent, an Medici vera retuliſſent, qui identidem ſe reperiſſe dixerunt. His igitur cognitis, ſtatuit omnino vel æger iter ſuum deſtinatum peragere, ut qui probe noſceret, etiam ſi non e ſtrato ſurrexiſſet, in carcerem traducendum; quare ex amiciſſimis Fratrem Simonettum Sangrium, conſobrinum ſuum, militem Rhodienſem, virum ſtrenuum, omnique vel arduo facinori idoneum, ſibi comitem elegit; obtulerat enim ſe ultro itineris & diſcriminum ſocium, & conſortem fore. Comparatis pro rerum anguſtiis neceſſariis, prima face Urbe egrediuntur, falſis portarum cuſtodibus. Secunda vigilia Vulturnum devenere, ubi ad deſtinatum locum portitores non offenderunt. Erratum eſt aliquandiu: tandem oriente Sole ad Lirim fluvium pervenere, quem ignoratum portitores tranſmiſerunt. Ulteriore ripa invenerunt milites Illuſtriſſimi Proſperi Columnæ ſibi amiciſſimi, & hoc in diſcrimine fautoris præcipui, a quibus illico extra limites Regni deductus eſt. Mane autem Clemens medicus, ut ægro conſuleret, ſimul & ut juſſioni Ducis obtemperaret, adfuit. Cui uxor conſtanti, & nihilo mutato vultu, reſpondit, virum inquietam egiſſe noctem, nunc obdormire; ne eum importune expergefaceret, reverteretur, ſi placeret. Reverſo poſt iterum reſpondit, adhibitis fomentis quibuſdam viro, ſubito ſomnum irrepſiſſe; orare illum interim, ne quietem rumperet; in ſuam gratiam, virique ſalutem, ne pigeret iterum adeſſe. Cumque tertio reverteretur, inquit injunctum ſibi omnino viſere eum. Diſpiciens ergo uxor ulterius rem non poſſe produci, nec dare verba, protulit chirographum, quod diſcedens vir oſtendendum reliquerat. Continebat enim, & Magiſtratibus, & cunctis notum eſſe velle, ſe Regem ſuum conventurum Hiſpanias petere: quod ne fraudi ſibi eſſet, nec fugæ adſcribi poſſet, propalabat. Quo inſpecto Dux, velut furiis agitatus, deluſum ſe a Medicis vociferans, veredarios illico ad perſequendum immittit, inſimulans ad Venetos illum fugam tendere. Inſremebat autem maxime in Sangrium, quod auſus fuerit hominem ſibi adeo infeſtum, ſe invito, relictis ſuis, fugientem comitari.

Interim Proſperi præſidio Romam ille perductus eſt, ubi minime tutum ſe judicans (verebatur enim, ne Oratoris Regis

Digitized by Google

amiciſſimi Ferdinandi Conſalvi, auctoritate retraheretur ad eum) delituit apud Abbatem Jacobum Piſcicellum uxoris ſuæ avunculum, donec aliquantulum reficeretur. Inde ſuum continuans iter, non per vias Conſulares, ſed per invia, & montium diverticula minime exiſtimanda, Senas prætergreſſus eſt. Illuc enim veredarii eum perveſtigatum ſecuti, ſpe fruſtrati revertuntur. Ipſe fidentius pergebat, utpote per regiones minime Ferdinando ſubditas. Pervenit Regium Lepidi, ubi auctus eſt famulitio; repererat enim germanos Michaelis Sacerdotis domeſtici ſui, qui ultro eum comitari ſe ſe obtulerunt. Iis igitur comitatui additis, Alpes transcendit, febris non adhuc penitus expers, neque injuriarum metum rel.nquens. Talem ſe circumſpectans, in citeriorem Hiſpaniam tandem devenit, unde ad nos nuntium primum de eo pertulit Petrus Torellus, Eques . . . . . Regnique Ærarius, inquiens, ſcripſiſſe ſibi uxorem, proxime divertiſſe in domum ſuam, qui & comitatu, & ſtatura exacte Joannem Baptiſtam Spinellum deſcribebat, qui ut valetudine commodius ſe haberet, feſtinare ad Regem ſuum neceſſario ajebat; nec non & cauſam ſubticuerat; credere, brevi Regem conventurum. Ad quem cum tandem perveniſſet, ſuppliciter ſalutat. *Ex quo*, inquit, *honoribus & Magiſtratibus a Celſitudine tua mihi collatis, in tuo me, Reique publicæ obſequio, uti atque exercere voluiſti, minime ob Vicegerentis tui diritatem licuit; quin & libertate, & vita me privare ſategit. Ad te, Princeps clementiſſime, veni, relictis neceſſitudinibus, quin etiam poſthabita ſanitate, ut ſub tantæ Majeſtatis umbra libere vitam ducere poſſim. Honoribus autem auctum, & opibus ditatum me ſatis reor, cum in Aula tua, te propitio, conſpiciar.* Ad quem Rex, nequaquam vultu hilari, verbiſque blandis, quemadmodum alias eum admiſerat; quin ſuccinctis, bono animo ſit, hortatur; ſibi vero hanc rem maxime curæ fore. Hoc veritus, ne Ferdinandi Conſalvi animum offenderet: quod præ cunctis cavere noſcebatur. Cumque ad nos minime reverti feſtinaret, donec favor ſui hoſtis nimis præeſſet, ceſſare non deſiit, quin ex intimis Regis ſibi amicos pararet; erat enim ingenio affabilis, & parandarum amicitiarum, continendique eas ſagaciſſimus. Ex Aulicis, Cubiculi Præfectum Dominum Raymundum Cardonam, tunc inter Regios alumnos ſatis ſpectatum, quem hodie magnum Ducem apud nos cernimus, conciliavit, & pleroſque e Regia. Et cum rem ſuam ita concinnaſſet, ut ſatis honeſte, laudabiliterque verſaretur, virtuſque illum, qui eſſet, oſtenderet: ecce opportunitate dicam, an neceſſitate redeundi tempus ap-

paruit. Principes enim, & Populi Hiſpaniarum poſt obitum Iſabellæ Reginæ Philippum Regem optavere, illoque ingenti favore admiſſo, viſum eſt Ferdinando, mox Regi cedere, ſeque ad paterna Regna reducere, ubi non diu moratus, claſſem comparatam ſtatim conſcendit, ad nos venturus. Sic præter opinionem, quam præſumſerat, cum Rege ipſo pervenit. Ferur hæſitaſſe Regem, an procederet, intellecta morte Philippi generi; tandem ad nos properavit. Tantæ celeritatis cauſa nobis ignoratur.

Acceptus eſt Rex magnificentiſſime a Neapolitanis, ſicut alias ſcriptum eſt, cum quo & ipſe devenit, acceptiſſimus non modo ſuis, ſed fere omnibus, uno dumtaxat excepto, & operis illius. Fremebat enim Dux, cum eum libere & in Arcem intrare, & in conſpectu Regis cum reliquis aſſiſtere videret; maxime vero cum Rationum Scribæ munus exerceretur. Cumque aliquando publicis officiis, & privatorum beneficiis ſe impartiret, jam bilis inimici in dies magis gliſcebat, adeo ut cum ex Arce regrederetur Ferdinandus Conſalvus, & ei obviam in campo Spineæ Coronæ fieret, conſpexiſſetque eminuſcula e regione tranſgredientem, ira odioque percitus continere ſe nequiverit, quin poſthabita perſonæ dignitate, in eum irrueret involaturus ei caput: quod pro tenſione brachii, cervicisque declinatione vitavit; apprehendit tamen veſtem. Interim ſatellites, qui eum circuibant, ſtrinxerunt gladios, ictuſque in ipſum prætulerunt, fruſtra tamen. Et quoniam res in propatulo gerebatur, multi occurrere, indignitatem rei videntes: ſic ex ancipiti periculo ſe ſubduxit. Ferdinandus, ac ſi nil peregiſſet, ad Regem perrexit; ipſe vero plurimorum comitatu domum reductus eſt. Profecto res ad memoriam Ferdinandum Primum Regem noſtrum plerumque revocaverat, qui cum hominem ſuo privilegio ſecurum Maſius (a) Barifices occidiſſet, quamvis ſibi cariſſimus, & in proximis bellis de ſe benemeritus, apprehendi nihilominus eum, & in carcerem trudi juſſit, nulliſque precibus exorari potuit, ut ſolveret; ſed ibi vitam finire coegit. Veſpere autem, cum domus ejus frequens amicis, neceſſariis, quin etiam Proceribus eſſet, ad vindicandum injuriam paratis, ecce Auguſtinus ex intimis Senatoribus, quos Hiſpani Regentes nuncupant, adfuit, ipſumque Joannem Baptiſtam ſecreto aliquandiu allocutus eſt. Inde ad multitudinem avide exitum rei opperien-

 tem,

(a) *Pariſius.*

tem inquit : *Viri magnifici , Regio nutu hæc vobis . Res hæc ardua , & in dies proreptura in pejus , Principis imperio reprimetur , eique opportune ſua Celſitudo providebit . Proinde ſuam quiſque domum repetat quietus , & pacem otiumque Regis minime vexare præſumat .* Eademque & ipſe Joannes Baptiſta repetivit , gratias agens pro oſtenſa in ſe dilectione , & ut juſſa Regis ſervarent , precatus eſt . Sicque inde diſceſſum . Quod adeo neglectum eſt , ut paucis poſt diebus Hiſpani , alienæ ſub ſpecie rixæ , ipſum armis prope Michaelis Archangeli ædem impetierint , inſectatique ſint , ita ut unum peti non ambigeretur . Eo modo res tranſacta : an Regis incuria , Deus & ipſe norit . Etenim nihil queſtus , & quod Rex minime providerat , diſſimulans , quotidie illi aſſiſtebat , quo ante inſultum Ferdinandi ſolitus erat , vultu munia officiaque amicorum libere intrepideque obiens , quippe qui ut in adverſis fortem ſe præbuerat , ita deinceps temporis , & Regis conditiones callens tacitum ſe oſtendit . Dumque Rex nobis adfuit , nihil minori libertate in Magiſtratu ſuo egit , ſed rem ſuam , & amicorum , & Aulæ ſcite & audacter curabat . A Rege multis pauperibus ſenio aut valetudine affectis , ſolatium annuumque ſubſidium impetravit . Maxima illi cura inerat officii , & meliorum obſequii : neminem ne verbo quidem lædere . Cum talia perpeſſus eſſet , pejoraque machinari in ſe noviſſet , numquam in eorum auctorem , aut conſultores , qui criminando diſſidii cauſa fuerant , in convicium aut maledictum prorupit , quin potius nonnullis eorum egentibus , neceſſariis benigne utiliterque adfuit .

Inter multas viri dotes , quæ non paucæ fuere , injuriarum viguit oblivio , quas moribus , & Religioni condonabat . Dum ita ſe libraret , inter promtitudinem & cautionem , Rex Hiſpanias citius omnium opinione redire diſpoſuit , cujus itus adeo properus exſtitit , ut ex tot nobilibus propinquiſque Urbibus nullam adierit . Non Capuam , non Averſam ; & quod magis mireris , ne Arcem quidem Neapolis Capuanam , amœniſſimoſque illos hortos inviſere curavit . Claſſe non adeo magna Cajetam delatus eſt , ubi aliquantiſper moratus , præſtolatus Ferdinandum Conſalvum ; reſtiterat enim cunctatus expeditionem ſuorum negotiorum . Urgente illum Rege , multa expoſtulavit in ſui , amicorumque commodum , non pauciora in inimicorum diſpendium . Omnia Rex conceſſit , nonnulla citra ſuæ Celſitudinis dignitatem . Petierat enixe , ut Rationum officio Joannem Baptiſtam Spinellum

lum amoveret: quod inter reliqua obtinuit. Poſt vero diſceſſum Ferdinandi Conſalvi literæ a Rege afferuntur, quibus Cariati Comiti erat inſcriptio. Privilegia inſuper, & tituli honorem Conſiliarii Vicesgerenti, annuum pro labore ſalarium, ſedemque inter Procerum ordines dabat. Hæc hactenus de tam ancipiti periculoſoque hoſte. Scio legentibus non adeo ſævum exiſtimari, quemadmodum nobis cernentibus viſum ſit, fuiſſe conflictum, quibus domo quotidie prodeuntibus, vota pro reverſione offerebantur. Hæc quam triſti memoria recordamur. Notam eſſe conſtantiam ac fortitudinem ejus, oriſque modeſtiam in contemnendis periculis, quam maxime in illa ad Regem fuga, febre correptus oſtendit. Superfluum quidem dicere remanet, quam bonis artibus tutum ſe præſtiterit, & conſtantia minitanti fortunæ ceſſerit. Aderat, ut Rex juſſerat, quotidie Viceſgerenti, liberiuſque verſari cum eo cœpit, cui non modo jus dicenti, ſed privatas agenti res, inerat. Patuiſſe ſibi aditum, etiam ad amicorum beneficia, videbatur, pro quibus exorare non deſiſtebat, ipſumque Præfectum domeſticis rebus, & noſtris moribus inſtruere ſatagebat; cui pro vitæ integritate ſumma adhibebatur fides.

Profligatis interim Venetorum rebus prœlio Caravagenſi, ut ſuam quiſque fœderatorum rem conſequeretur, actum eſt. Rex etiam noſter Tranum, Brunduſium, Monopolim, Hydruntum, ceteraque oppida a Venetis detenta, bello ſibi vindicare ſtatuit, veritus ne Veneti illi reſtituere renuerent. Vices enim gerens ad ea expugnanda ſe accinxit, cujus comitatui & ipſe Comes adfuit, qui non parum ad deditionem prædictorum contulit; enim enim Veneti experiri noluerunt. Legato vero, qui ad res Appulas componendas venerat, interceſſit, utpote arbiter utrique acceptiſſimus, nulla Venetorum malivolentia, Regis autem gratia, oppida non modo abſque bello, ſed ſine etiam murmure reſtituta Regni unire ditioni curavit. Ita bene peracto commilitonis & conſultoris officio, cum Duce bono nomine Neapolim revertitur.

Decreverat jam Rex Comitem Ripæ Corſiæ moderatorem noſtrum ad ſe revocare, cui ſubſtituit Raymundum Cardonium inter alumnos cariſſimum, & tunc Siciliæ Præſidem. Ejus adventu Comes maxime gaviſus eſt, nec minori benivolentia ab illo admiſſus. Erat enim conſuetudo inter eos ab Hiſpaniarum acceſſu, & poſtea ſolidata hic exiſtente Rege compatratus neceſſitudine. Tempus jam apparebat, & rerum otium, ut ſua reviſeret,

præ-

præcipue Comitatum nuper ſibi conceſſum, quo, bona impetrata venia, quamvis gravis diſceſſus Cardonio fuiſſet, incolumis pervenit; ubi nil antiquius habuit, quam mores atque inſtituta ſubditorum corrigere, illoſque ad civilem vitam revocare, pacem inter diſcordes procurare, exules in patriam facultateſque reducere, nihilque, quod non bonum patrem in filios deceret, committere. Verſus inde ad eorum tutelam, ſecuritatemque, mœnia alicubi ſtruere, alicubi partim diruta concinnare, Arcemque novam ſibi exædificare; quæ omnia munimentis, machinis, tormentiſque non modo propulſoriis, verum etiam expugnatoribus communivit. Rei vero peculiari redituum, & proventuum ultimo prövidit, armenta boum, equorumque maxime inſtruendo, quibus profecto non ad lucrum, ſed potius ad honorificentiam & liberalitatem uſus eſt, ut qui pullorum jumentorum numquam aliquid venum miſit, verum amicis, neceſſariiſque ingenue contribuerit; erat enim gloriæ & honoris appetentior, quam pecuniarum. Concinnatis igitur domeſticis rebus, tempeſtivum judicavit ad Curiam, penateſque redire, cujus iter nequaquam otioſe peregit. Quippe ad multos Principes Magnateſque divertit, qui propter itinera degebant, ſalutandi cauſa. Quibuſcum vetus erat neceſſitudo, hac viſitatione ſtabilem perpetuamque firmavit. Non pauciora per ea loca, quæ minime horum ditioni ſubdita erant, hoſpitia, clienteſaſque comparavit. Quippe quocumque perveniſſet, cives & publice & privatim eum conveniebant, nobiles impenſas, reliquaque commoda proferentes, a quibus, gratiis actis, nil niſi neceſſarium eſſet, ſumſiſſe dignoſcitur. Hac ergo via, ut aliquid proſeciſſe videretur, multos amicorum, & ſtabilivit, & novos ſibi paravit. Appulit, & Præſidi, & Collegis, nobiſque optatiſſimus. Diebus non tam multis in Marſos, Pelignoſque ad milites, ibi hybernantes, recenſendos mittitur, quibus ejus adventus cariſſimus fuit; illis enim hybernas manſiones diſcrevit, ita ut ſe, milites, equoſque tueri poſſent. Oppidani ſeparati ſua cum omni familia, ut citra injuriam degerent, ſtatuit; & rei frumentariæ modum, quo nec venire carius poſſet, nec vilius emi. Itaque quod raro evenire ſolet, utrique optime ſibi conſultum dicerent. Hæc vix peregerat, & ecce literæ ei redduntur, ut quam primum militem ex hybernis educeret, iterumque luſtraret, & numeratum, omniſque bellicæ rei inſtructum, Duci ſuppetias allaturo Imperatori traderet: quæ cuncta apte citiſſimeque perfecit; Ducique ad id bellum præpoſito in limitem Regni copias integras

Digitized by Google

gras tranſmiſit. Inde non ante Neapolim remeavit, quam ad Virginem Lauretanam vota perſoluturus, dona præmiſerit, perpetuumque ſuum ſervans morem, ut nil, niſi Numine advocato inchoaret, nil niſi eidem gratias referens, componeret.

Sperans igitur eo deinceps otio, & tantum publicis curis, & domeſticis poſſe vacare: ecce novus diuturnus labor offertur, quem tanquam genitum alacriter ſuſcepit. Viſum enim fuerat Regi noſtro, poſtulante Julio Secundo Pontifice Maximo, adverſus Gallorum Principem Eccleſiæ ſtatum vexantem, cujus favore Bentivoliorum factio Bononiam ab Eccleſia rebellaverat, & reliqua tentare non deſiſtebat, Raymundum Cardonium in eum deſtinare. Qui ociſſime educto, luſtratoque milite, ad expeditionem ſe decinxit, omniumque opinione celerius partem exercitus ſe præcedere juſſit, dum reliquæ coirent, ipſumque opperirentur ad Truentum amnem. Unde iterum numerato reviſoque milite in hoſtem moveri præcepit. Quarto igitur Non. Novembris, quo Feſta, quæ priſci Feralia appellabant, nos vero Agenda pro Mortuis nuncupamus, Sacri Puerperii MDXI. urbe egreditur; & qui militum nondum inſtructi paratique erant, ut ſequerentur edixit, die minime juxta vulgi opinionem fauſto, ſed urgente Pontificis Legato, magnique referre, Ducis approperationem ad actum exiſtimante. Profectus eſt Cariati Comes una cum eo, qui non modo ut Senator, verum etiam ut miles prælio intereſſe poſſet, armis inſtructus apparuit. Appoſui egreſſus diem præter morem conſuetudinemque; ſoleo enim ſcriptis meis, & nominum, & temporum ſingula præterire. Hoc vero, ut odii mordaciſſimum morſum ſimul, & fœdiſſimum adulationis vitium effugerem; quæ conſultius an emendaturus ſim, amicorum conſilio providebo. Coacto igitur exercitu ad ripam Truenti fluminis Regni hujus terminum, præcenſoque, & vexillis Eccleſiæ, reliquæque, ut hodie dicunt, Ligæ profectum adeptis, in Bononiam iter cepit, quod peragendum per Eccleſiæ agrum erat. Unde maxima oriebatur cura Comiti, quem rei frumentariæ præfecerant. Inſolitum enim erat oppidanis hujuſmodi onus vectandi, in caſtra victualia: & rurſus miles non adeo ſtipendio auctus, & eo licentioſius vagans, graſſari in frumentarios & paganos non deſiſtebat. Prælitit igitur Comes illa ſua ſolita diligentia, & affabilitate cum Pontificis Legato, ut frumentum tutum, & ſine direptione ad caſtra perduceretur; ſimul & miles ſuum victum nanciſceretur ſine vectantium damno atque injuria: quod, donec

An-

Anconam perveniret exercitus, novo quotidie labore curatum eſt. Inde juſſu Ducis triremi Venetias tranſmiſſus, curaturus ibi communem Confœderatorum rem. Ut autem expeditius iret, annonaque viliori uteretur, ſervitia impedientia, equos, reliquumque belli apparatum Ravennæ ſepoſuit. Venetiis vero optatiſſimus receptus eſt. Erat enim ibi Comitis fides & induſtria bene cognita experimentis, apud quos alias legationis munus obierat. Adeo fideliter ſolerterque ſe geſſit, ut non tantum Regis Legatum, ſed uniuſcujuſque complicum peculiarem Oratorem, eorum commodis ſe præſtiterit; ſic enim non inutilis aut otioſus fuit adventus, ac ſtatus. Quippe ejus inſtantia Venetorum Dominatus, & ſui militis ſupplementum, & reliqui exercitus ſtipendium miſit. Interim aſſidue exhortabatur Cæſaream Majeſtatem ſpem bonam habere in promtitudine præſtandarum virium, quo opus eſſet & ad expulſionem Gallorum. Jam enim Brixia, & Bergamum ad Venetos defecerant. Dux ergo Gallorum non prius Bononiæ auxilium ferre ſtatuit, quam Brixiam a ſe defectam nuperrime recuperare. Per arcem, quæ fidem Gallis ſervabat, in urbem irrupit, quam ſæve crudeliterque habuit, diripuit.

Ob hanc igitur victoriam properus Bononiam venit, cujus adventu ſoluta eſt obſidio. Egrediens inde Ducem Cardonium infectari cœpit. Cumque caſtra propius invicem locaſſent, & ut uterque opportunitatem rei ſibi bene gerendæ expectaret, in agrum Ravennatem devenere, ubi ſæviſſimo illo, & cruentiori certamine pugnatum eſt. Quo Venetiis cognito, illico Comitem cum duabus triremibus ad Ducem Cardonium conveniendum miſere; ignorabatur enim, quonam poſt pugnæ malum eventum ſe recepiſſet. Quem multifariam perquiſitum, tandem in Civitate Juliæ novæ (Regni in introitu hæc ſita eſt) offendit, cui Venetorum nomine, bono jubet eſſe animo, ac de bello minime deſperare; quoniam, etſi noſtri maximo damno terga vertiſſent, non minori detrimento Gallorum copias attritas, & Ducis maxime morte, & ductorum & militum numero; ſe vero brevi majores copias coacturos fore, & Pontificis viribus maxime id curantis, & Cæſareæ Majeſtatis, Helvetiorumque robore. Galli autem ſua damna ſimiliter reſarcire impotentes, facile Italia ceſſuri, aut exigendi erant. Accingeret ſe modo, utpote Generalem Ducem, reliquiaſque fracti exercitus in unum cogeret; aureorumque ingentem numerum, quem attulerat ad ſtipendium, oſtendit. Quem obſtinatum cum vidiſſet, & cauſas, cur Neapolim repe-

repetere oporteret, afferentem, præbito ſtipendio peditibus, qui ex fuga in unum ſe receperant, deſperans rem conficere, conſcenſis triremibus Venetias properavit. Cardonius vero Neapolim rediit. Reperit ergo Principem, Senatumque Venetorum magno, obfirmatoque animo ad bellum peragendum, utque id celerius, conſtantiorique fide confici poſſet, mittitur ad Cæſarem Comes ad ſtabiliendas pariter, & proferendas inducias cum Venetorum Dominatione, ſimulque ut adventum Helvetiorum appropperaret. Quæ omnia ut impigre fideliterque geſta, ita optato ſucceſſere eventu, quando junctis viribus Galli, intentato prœlii diſcrimine, Mediolano abierunt. Quemadmodum id contigerit, & Ludovici filius ſit Mediolanenſium Dux electus, ſcire cupientem ad Hiſtoriam hujuſmodi delegamus. Interea Brixiam, quam Galli bene munitam reliquerant, Veneti arctiſſime cinxerunt, brevique ea ſe potituros ſperabant. Cardonius enim juſſu ſui Regis obtemperare cupiens Pontificis monitis, in Ciſalpinos devenerat. Cæſaris milites, Helvetiorumque pediſſequos Brixiam verſus movit, cujus appulſum Venetorum exercitus non expectandum cenſuit, ſolutoque obſidio, alio ſeceſſit. Cauſsam ipſi norunt; ſortiorem Cardonium ſe venire prænoſcebant, qui Brixiam haud multo poſt conditionibus excepit, minimeque eam maxime ſperantibus Venetis reſtituit. Hinc ſuſpicionem, & futuri diſſidii cauſſam ortam autumant, quod ne ſtatim erumperet, Comitis diligentia curatum eſt, utrique partium diſcordiarum mala oſtendentis, pariterque concordiæ & pacis utilitates.

Reſtitit inde Venetiis, Regis ſui Ligæque totius commodo, quoad Veneti ſe Gallo fœdere junxere. Tunc ad exercitum noſtrum, qui una cum reliquo complicum convenerat, mandato ſui Principis pervenit. In Patavium, in reliquum agrum Venetorum moverunt. Hic quantum partes juverit, quamque indefeſſum ſe exercuerit, militis Hiſpani, qui ibi militaverat, teſtimonio noſcebatur, quem inter belli facinora hoc quoque dixiſſe audivimus, quod tam crebro ſtatis motiſqae caſtris numquam frumenti, non modo penuria, ſed ne caritate quidem exercitus laboraverit. Id omne Comitis ſolertiæ, fideique adſcribi merito debere. Interea Bergamum a Confœderatis ad Venetos defecerat. Vaſtatis Patavii agris, receptiſque oppidorum aliquot, viſum eſt ad Bergamum recuperandum propere movere, tum ad illius ultionem, tum ad reliquorum terrorem; cumque illo appropinquarent, agi cœptum eſt de tradenda ea. Conditiones in-

Digitized by Google

terim tractari cœperunt, quarum intermedius Comes ipse exstitit, qui utrique partium consuluit; oppidanis, ut se suaque pretio redimerent; Duci autem, ut mulctatitiam pecuniam, quæ inter milites justa conditione sedate dividi posset, ac pacifice potius, quam direptionem vellet, pacta sunt aureorum millia decem. Restabat Arx majori labore acquirenda, quam non Cives, sed præsidiarii milites tenebant. In eo igitur obsidio Comes etiam strenui militis operam navavit; magnis enim obsessa est discriminibus, in qua pauci deliderati, plures tamen, & insigniores, quam Arcis modicitas merebatur. Cum ergo Cæsar Imperator veterum officiorum in se meminisset, cerneretque recentia quotidie accrescere, exoratum eum a Rege, Vicarium omni Italicæ rei substituit, præesseque voluit. Gessit hac in sua Præfectura nonnulla alicujus momenti; sed quoniam ad magnitudinem eorum, quæ gessit in tuitione Veronæ, quam scripturi sumus, frivola videri possent, omisimus. Placuit quippe Cæsari post Vicariatum illi traditum, ut Veronæ præflideret, opportunæ profecto sedi, seu ut oppidis exercituique consulere & subvenire posset ex locorum propinquitate; sive auxilia a Germania evocare, & stipendia cogere, atque Cæsaris præsentia non eminus ad incidentes res occurreret. Cumque præsens adesse nequiret, conjugium filiæ Isabellæ, quod tractabatur, uxori Liviæ perficiendum composuit. Juncta itaque est Joanni Francisco de Capua, adolescenti moribus & forma decoro, Comite Altavillæ genito, successuro dominationi ingenti. Et quamvis dotem aliquantulum modum excedentem, (aureorum siquidem XIV. millium exstitit) omnes tamen optime erogatam eo in conjugio censuerunt. Traduxit eam ad filium Comes ea pompa, apparatu; & cœnarum magnificentia, qua hac nostra tempestate Baronum aut nulli, aut pauci.

Interim Helvetii sumto stipendio, quod promiserant, Piscariæ scilicet morari, minime servavere; quin imo sublatis signis patriam versus festinantes abiere. Hujus subsidii frustratus spe Comes, & videns campo omnino cedendum, Veronæ cum esset, ad obsidionem tolerandam oblirmat animum; pro comperto enim habebat, Gallorum exercitum una cum Venetorum copiis ad se expugnandum venire. Erant Veronæ secum Marcus Antonius Columna, vir equidem strenuus, sed comitatu non adeo valido fustultus, & Helvetii aliquanti: Hispanorum vero, & Germanorum XII. millia numero. Galli autem, junctis jam Venetorum

Le-

Legato, & exercitu, quotidie Veronæ approximabant. Poſtquam autem Veronenſem agrum intraſſent, caſtraque nec moverent, nec ponerent; neque in eos Marcus Antonius, & qui Urbi præſidebant, irrumperent, proque militum paucitate damno aliquo afficerent, incommodo tamen & moleſtia longe majori afficerentur: Comes Cæſarem de ſtatu rei certiorem facit, urgetque, ut ſtipendia flagitanti præſidio mittere non tardaret. Interea ad muniendam Urbem ſe converterat, reſarciendo mœnia, ubi collapſa fuiſſent, ſubrigendo aggeres locis, quibus hoſtes tormenta & machinas locaturos veriſimile putabatur; propugnacula inſuper, & turres, unde obſeſſores etiam eminus infeſtare poſſent; & Urbem circumeundo, ubi lædendi opportunitatem cognoverat, arma, tela, milites opportunis armis deſtinavit, ut cum tempus exegiſſet, non tumultuoſe hac illac erraretur, ſed noſſet quiſque locum ſuum & ordinem ſervare. Inſuper maxime pertimeſcendus erat Civium motus, quando plebs Venetorum dominatum optare videbatur. Hæc Provincia uni Comiti moderanda obvenit, quam caute ſalubriterque adminiſtravit, edictoque ſanxit, ut nulli Civium liceret belli munïis intereſſe, nec vigiliis, nec diuturnis operibus immiſcere ſe, externorum præſidio hoc in obſidio utiliter ad Civitatis quietem uſurum. Et ne forte per cuniculos hoſtes irrumperent, diligenter cavit; denique nil, quod ad Urbis munitionem conduceret, omiſſum. Cumque optime calleret, Urbes non minus fame ſubigi ſolere, quam machinis expugnari, majorem victui adhibuit curam, moderatius illum partiendo. Quod etſi durius miles perferret, ratione tamen, & gloriæ oſtentatione tolerare ſuaſit.

Senſim inter hæc Gallorum, Venetorumque exercitus Civitatem arctare ſatagebant, & ſi a . . . . damno & incommodo afficerentur. Poſtquam vero ad mœnia pervenere, caſtra, non citra multorum ſtragem, poſuere. Diviſerunt bifariam copias. Veneti in Vicentina Porta orientem Solem ſpectante conſedere; Galli autem in Portam, quæ Mantuam verſus emittit, tetendere. Quod duplici ratione excogitarunt; altera, ut itinera, & commeatus obſtruerentur, qua obſeſſis inferri poterant; altera vero, ut propugnatores diſtraherentur, neve eodem conglobati loco robore firmiori obſiſterent. Appoſuerant interea hoſtes utroque ex latere tormenta, mœniaque nulla interpoſita pauſa, ne noctu quidem, pluribus diebus quaſſavere, adeo ut ingens murorum ſpatium utrinque demoliti ſint. Et Veneti quidem a Vicentina

Digitized by Google

porta ad campum uſque Martis per ſtadia aliquot eos diruerunt. Nec minori ruina, aut ſpatio breviori, ſuum Galli peregerunt incœptum. Quippe a porta Mantuana, quæ occidente Sole illuſtratur, ſimiliterque uſque ad Urbis Civitatulam (munitionis id nunc nomen eſt peculiare) proſtravere. Nihilo tamen deterriti oppidani aliquam deditionis ſpem dedere, quamquam XVII. millibus maximarum machinarum, minorumque tormentorum ictibus, & tanti ſpatii murorum oppoſitione privati forent.

Comes interea ea cura non tantum ſuum munus obibat, ſed alienis non ut unus intererat. Quippe qui circuire Urbem, vigilias mutare, parare machinas, hortari milites, cuicumque operi accurrere, perpetuoque laborans, inſomnes noctes tranſigere; eòque ſuo ſtudio & labore devenerant, ut tam graves hoſtes, tantis mœnibus proſtratis, non timerent. Viſum tandem hoſtibus Urbem per murorum ruinam impetere, in eamque irrumpere. Aggreſſi ergo magno impetu, uſque ad verticem eorum devenere, quibus præſidiarii milites ſuis cum Ducibus ſtrenue occurrerunt; haſtis gladiiſque cominus pugnatum eſt. Tandem vi præſidii, & terrore foſſarum, reliquarumque munitionum, quas ſtructas intra Urbem cernebant, deturbati ſunt. Hoc in aggreſſu alteram tuendo partem, boni Ducis, ac ſtrenui militis opera Comes ipſe tutatus eſt. Depulſis e mœnibus hoſtibus non parvo damno & dedecore, aliquanto laxius Urbem circumdare ſtatuerant, eaque, poſtquam vi expugnare nequirent, fame potiri: quare diligentius obſervari, ne victus inferri poſſet, curavere. Hæc autem hoſtium a mœnibus receſſio, etſi admodum pauca, oppidanis quietem aliquantulam pertulit. Unum tamen Comitem diſcrimini periculoque majori objecit tumultus militum, qui in præſidio erant, repoſcentium ſtipendium, & abundantiam, ipſumque appellantium deceptorem, qui ſpoponderat brevi & ſalarium, & commeatum, neutrum hactenus apparere: Ventres eorum, & marſupia variis pollicitationibus non expleri, ac ſe exacturos fruſtratæ ſpei pœnas. His dictis, ingens Germanorum globus in domum ejus erupit, bonamque partem ſupelleſtilis deprædatus eſt, & apothecam omnem exhauſit; vini enim penuria maxime laborabant. Comes vero iis anguſtiis in Arcem, in quam ſe receperat, advocatis ductorum primoribus, & quibus ſanior mens erat, ac inter ſuos auctoritas major, præſentis penuriæ cauſam, obſidionem ſtrictiorem eſſe monſtravit, ſic & ſtipendii dilationis. Nihilominus pro rerum parcitate conſulturum; brevi certe

Digitized by Google

te Cæſarem ſuppetias miſſurum, & omnium affluentiam, ſtipendiique ſupplementum; & hoc pro comperto haberent. Interim vaſa argentea, & ſi quid pretioſius ei inerat, etiam quod mutuo invenire potuit, impartitus eſt. Victus curioſius perquiſitus, parciuſque diviſus. Vini cum nihil ineſſet, primus ipſe aquam haurire cœpit, paneque infra ſecundario uti, nihilque delicatum ſibi apponi. Mirum profecto edidit, ut Germani citra merum victitarent, aquaque contenti eſſent. Iis ſuaſionibus, affabilitate, & exemplo quievit aliquantiſper ſeditio. Inſuper, importune poſcentibus tollere veſtigalia neceſſe habuit, utque illis vilius utenſilia præſtinarentur, ſalario, quo inde ſe ſuoſque alebat, privare. Sic magna hac in rerum caritate, præſidium pollicitationibus & ſpe in officio detinuit, donec ſublidium a Cæſarea Majeſtate adveniſſet. Quo appropinquante, hoſtes ſublatis tentoriis obſidionem adeo ſubtimide ſolverunt, ut pauci, quibus permiſſum eſt extremum carpere agmen, jumenta, atque impedimenta nonnulla deprædati ſint. Ad hunc finem deveniſſe tam longum, pertinaxque obſidium (nam ſex menſes perduraverat), in primis fide virtuteque Comitis ferme tenetur.

Liberata igitur Verona, intromiſſoque commeatu, viſum eſt Comiti per ſe Cæſarem conſulere; tutelaque Urbis Vicario, Ducibuſque commendata, paucis comitantibus expeditius ad ipſum pervenit; a quo benigniſſime ſuſceptus, magnificeque laudatus, debere tantis officiis in ſui obſequium præſtitis multa falſus eſt, quorum nec immemorem, nec ingratum fore. Expoſito deinde Veronæ ſtatu, & quæ ad eam reſarciendam ſimiliterque conſervandam conducerent, poſtea ſtipendium militum, quibus ſuam oppignoraverat fidem, vellet ſua Majeſtas illico ſolvere. De proviſione Urbis nil retulit. Salarium militare reportavit, ſtatimque expectantibus militibus contribuit; cui gratias egere ſummas, illumque caritate paterna amplexi ſunt; in primis tamen Hiſpanorum primores. Deinceps non illa ſua provida diligentia Urbem concinnabat a Cæſaris reditu, ſive ex illo quid præſenſiſſet, ſive præſagiret, quod muſſitabatur, brevi ſcilicet Veronam in Gallorum Principis manus deventuram, & per illum Venetis reſtituendam, conditionibus ipſis notis. Quod non multos poſt dies cum omnibus liqueret, Comes nemini dignaus Civitatem tradere, præterquam ei, qui illam ſibi crediderat, properus Cæſarem adiit, illius Magiſtratui Urbem, Urbiſque curam relinquens; feſtinationis enim tam citiſſimæ cauſam credimus, ne reſtitutionis Veronæ ipſe miniſter inveniretur. Quo

cum

cum perveniſſet, humaniſſime amplexatus, magnificiſque verbis honeſtatus, proque laboribus proximæ obſidioni exhauſtis grates dictæ. Petierat enixe, ut eum bona ipſius gratia & venia liceret jam patriam familiamque inviſere, a quibus tamdiu, eminuſque in ejus obſequium abfuerat: quod minime obtinuit. Imo paulo mox ad nepotem Carolum Regem noſtrum pro rebus non quibuſvis credendis ſuo nomine delegavit. Ibi honorifice ſuſceptus. Noverat enim probe Rex illum Avorum Majeſtatibus omni vita deditum, utiliaque & gratioſa illis navaſſe. Legatione ergo edita, benigneque accepta, reſponſum per veredarios ad Cæſarem delatum, ipſius ad nepotem approperavit adventum, ubi eum Comes præſtolabatur. Carolus quidem Rex præſens videns, quæ de eo diu acceperat, a ſe diſcedere noluit, ſed in ſuum Conſilium cooptare curavit, in quo ſumma cum laude hodie degit, perpetuo ſui ſimilis, ut ultimo ſemper officio & decore ſe augeret, & priora beneſacta ſolidaret; talemque in recens Conſilium inſinuando ſe laudabili perſeverantia gerit. Qui, quamvis Germanorum mores non adeo noſtris congruant, brevi tamen illorum percepta natura humanioribus ſe adjunxit, reliquos adeo diſcrete pertulit, ut nulli eorum particeps fieret, nec indigenas omnino horrere videretur, eaque ſolertia ſua laudabilis omnibus approbaretur. Dumque ſui Principis, illiuſque Imperii rem ageret, minime omittebat Patriam juvare, & Civem amicumque bonum ſe exhibere.

Interea cum ab uxore, reliquiſque ſuis expoſtularetur impenſe, curaretque, ut quam citius poſſet, ad nos rediret, medio hoc tempore nova neceſſitas permanendi appetiit. Decreverat enim Rex, Conſilii Principem, quem magnum Cancellarium vocant, comitantibus e Senatorum plurimis, ad Hiſpanos mittere, ut res ibi nutantes ſtabilirent, darentque operam, ne quid turbidi aut novi ulterius ſerperet; utque pedibus irent, ne maris caſus eos præpedirent; ſe vero, cum per tempus licuiſſet, mari aſſecuturum. Quare multis probis viris, & capite depleto Conſilio, neceſſe habuit ipſe Comes pluribus negotiis invigilare, cum claſſis pararetur inſtrueturque armamentis militaribus, commeatuque. Hæc omnia ut diligenter fierent, elaborabat. Interea Regem ad Hiſpanos, tanquam ad Principatus ſui columen ire ſatagentem hyemis ſævitia, adverſi flatus, horrida fluctuum tumiditas aliquandiu inhibuere (eſtquæ illa tranſvectio periculoſa, & omni parte fere inhibita): juſſit

jussit omnem commeatum, & quæ opportuna imposuerat navibus, deportare, expectaturus vernam commodiorem navigationem. In hoc demorandi consilio, ventus, qui hactenus adversabatur, in secundiorem mutatur. Quo viso nauticarum rerum periti mutant sententiam, jubentque incunctanter naves omnes conscendere, asserentes ventos perflare prosperos ad Hispaniæ usque appulsum, idque ipsis observatum. Itaque de quarta vigilia, Virginis Matris natali die, spe bona solverunt secundo navigationis flatu, qui non diu tenorem servavit. Quippe tertio a digressu die adversi flatus adeo sævi surgunt, ut iter ad destinata peragere denegarent. Nautæ ergo quantum per tempestatem licuit, ad Regem deferunt, maximo in discrimine rem versari: impossibile quippe his flatibus incœptum peragere iter. Tria superesse, e quorum uno sibi, & classi consulere possunt: aut si proras, unde moverat, verteret: aut si portus alienæ ditionis intrare vellet; tertium, si per æquora errans opperiri ventum vellet. Quibus Rex nullo modo rediturum se dixit; in alienas manus prorsus non desiderare se deventurum. Darent operam, ut errando opportunitatem perficiendæ viæ expectarent. Errando ergo juxta Regis sententiam & imperium, ecce optata maturius spes perficiendæ navigationis suæ apparuit; flatus enim quietiores, ac ad Hispaniæ litora ducentes adfuere. Directis igitur illuc proris, modo plenis tumidisque velis, modo placidis, & malis adhærentibus, suum tenuere cursum. Itaque dum montes videntur Hispani, Rex viciniori litori exponi se jubet: nausea & navigationis molestia adeo eum turbaverant, ut ad portum non eminus adire neglexerit. Pagum autem, quo tantum Regnum auspicaturus erat, modicis & paucis potius mapalibus, quam casis inhabitatum, vocant incolæ Villam-Viciosam, ubi parumper propter incommoditatem moratus, per montes inclementes & asperos ad frequentiora ire contendit, donec ad optata perveniret. Inhibuit enim Proceres Reguloſque Hispanos, etiam Celtiberiæ, quorum fœcundissima est, sibi occurrere, excusans hospitiorum penuriam, jussitque in Valle Olitana se illuc properantem opperiri; commodius illic futuros incolatuque & annona. Hæc sunt ad nos de Rege, comitatuque perlata. Nec ignoro, navigationem hanc contemtui gestorum nostri Principis fuisse; sed quoniam obsequiosam in suos Principes perseverantiam nostri Comitis innotescere volumus, non ab re huc divertisse videor.

Navigaverat enim Joannes Baptista prius, & mox Comes, in-

interna fere maria omnia, quorum discrimina & varios casus perpessus, nil tamen deterritus, quin Oceani diros procellososque fluctus, importuosaque litora, & maxime hoc in trajectu experiri voluerit, cum probe nosceret nostri maris Mediterranei tempestates & turbines malaciam esse ad trajectum a Flandria ad Hispanos hyberno maxime tempore. Dum Rex noster ibidem, quo convenerat, componendis Regni rebus recenter aditis, conventibusque peragendis immoraretur, cunctis Comes adfuit, cujus & fides, & auctoritas omnibus approbata est, ita ut Hispani, quem olim integrum apud Regem vita functum, fidumque cognoverant, tunc sagacem & consultissimum Senatorem perspexerint. Verebamur interea, qui tam diuturna absentia torquebamur, ne laudabiliora ejus opera, & ejus in Principem caritas diuturniorem efficerent, cum minime sperantibus allatum est, Regem commeatum dedisse, ut bona sua venia domum reverteretur: quod quidem tam gratum non solum nobis necessariis, sed omnibus exstitit, ut vix præ nimio desiderio crederetur, donec digressum a Rege audiremus. Itaque Patriam versus cepit iter, ad quam III. Nonas Junii terrestri itinere pervenit, magnoque cunctorum favore & amore admissus, adeo ut ultra Capuam pars ei occurrerit maxima, & omni via Neapolim usque obviam iverit gratulatum ei adventum; eaque frequentia urbem introivit, tantoque comitatu conspicuus, non minori civium frequentia in compitis visque, per senestras quoque mulieribus eum percarissimum spectare cupientibus, ea pompa instar ovantis in Arcem, Vicegerentem salutaturus, devenit, atque inde læto spectaculo omni civitate deductus est.

Post tam multos laudabilesque exantlatos labores, post nomen ingens merito partum, post tot itinera impigre confecta, tandem Comitem, Ferdinande carissime, tibi domum reduximus bene auctum, & cumulatum honoribus, & amore. Quem, si vis vivendi præsentem normam, & quidquid aut discere, aut imitari optaveris, intra limen domus uno exemplari, Patre scilicet tuo, invenies. Nec mercedem ullam reposcit, nisi ut se patre dignus filius dici vocarique possit. Ergo incipe tempestive gratias reddere, ut jam noscat, quem fortunarum successorem habere voluit, eundem sui imitatorem videat. Quamobrem illum sectare, illiusque loquentis ex ore pende; motus, gestus studeas pro viribus sequi, quæ te citius & rectius ad metam probitatis ducant. Nec lineam, nec regulam invenies, minimeque præceptorem omni

Digitized by Google

mni jure, qui te instruere tanta caritate & experientia possit, & velit. Debes profecto multum. Etenim ultra genituram educavit te instar magni viri filium, & cum minime equos conscendere posses, mannulos tibi paravit. Mox quando adolescere cœpisti, grandiores adfuere equi, vestes pro ætate satis splendidæ & sumtuosæ, tum sericæ, tum laneæ adeo eximiæ, ut sericas illas pretio vincerent. Pœdagogos, quibus Latinas Græcasque literas perdiscerés, comites insuper, qui tecum perreptantes adirent, honestosque tui amatores apposuit, & gladiatores, qui te retusis ensibus instruerent, ut quando necessitas incumberet, cuspidatos dexterrime inferre ictus, & caute declinare noscas. Et postquam nostra ætate etiam ingenuis Musica in honore pretioque habetur, peritos callentesque eam tibi adhibuit, qui cantare & saltare probe docerent, ne quando forte rusticus & indoctus dicereris. Ac te modo virum ingenti matrimonio copulavit, utpote Bisiniani Principis ex sorore nepti, itemque Ducis Andriæ, ejusque fratris Neritoni Marchionis filiæ. Magna profecto hæc, sed plus quia te virtutibus addixit; lasciviendi enim viam obstruxit. Cum ergo memineris te Viri, tot tantisque dotibus præditi, filium & heredem, nil profecto turpe, si illum mente revolveris, cogitare, nedum perficere audebis, & si forte quid indecorum subieris, protinus abjicias, & nullatenus ad effectum perducas. Perge ergo assidue hæc meditari, ne memoria excidant, & summopere observa, ne a paternis vestigiis divertaris. Quod si is fueris, quem optamus: omni studio imitari conaberis. Sin autem (quod avertat Deus) secus vixeris, & ad deteriora perlaberis, scias, id magno futurum opprobrio & damno, & felicitatem quietemque, quam parentes tui tanto labore, industria, periculo, sibi tibique hereditariam paravere, male vivendo corrumpes: & parentes tristes mœrentesque tuis nepotibus reddes. Quod te vitare iterum atque iterum moneo, maxime cum nulla peccandi oblata fuerit occasio; quin imo cuncta ad honeste vivendum ultro parata & appositа fuerint. Vale, & si te tuosque parentes amas, te dignum iis filium præsta.

DE VARIETATE FORTUNÆ

AUCTORE

TRISTANO CARACCIOLO.

ETsi omnia vanitati submisisse, sapientissimum Salomonem illum credebam, & ea præsertim, quæ sensibus noscuntur, & manibus tractantur; assertione tamen volubilitatis nostrorum temporum factum est, ut non modo credam, sed videam, manuque tangam, esseque rata existimem. Quippe legeram apud illum, & nonnullos alios, antiquarum varietatem rerum, audieramque præsentium, quam infirmi essent Dominatus, & Regna, quamque fluxæ & labiles opes, & divitiæ, quamque momentanea forma & pulcritudo, quam denique pervia pœnitentiæ voluptas, & lætitia, quibusvis deliciis comparata. Quæ cum summo studio maximaque facundia retulissent, & adeo præ oculis illa nobis posuissent, ut pæne cernere videremur: tamen longe magis movent, afficiuntque, quæ nostra ætate contigisse novimus, & tanto efficacius nos vexant & premunt, quanto infeliciores fuisse etiam illos castos, priscos, & sanctos viros, præsentia hæc arguunt, ita quod cum miseremur majorum, & affligimur præsentibus, de posteris melius sperare desipientium esset. Ergo ita circumsepti ab hac vanitate & volubilitate rerum vivimus, quarum nos pars maxima sumus; pudet dixisse sumus, cum homini tam ni-

nihili, tam futili, ſuique incerto minime conveniat, niſi ad ſupera ſtabilia, perpetuoque læta, quibus conditus eſt, pro ſanctis Dei monitis & mandatis ſe erexerit. Ad quod maxime facit, reliqua (præter Animum, qui ſolo divino fultus auxilio ingentia & immortalia optare, & aſſequi poteſt) contemtui deſpectuique habere, atque illa facilius nos ad ſe trahentia, quam vana, inutilia, fallaciaque ſint, jugi memoria per exemplorum oſtenſionem noſcere. Omiſſis ergo antiquorum variis deficientis variantiſque vitæ caſibus, quibus omnis ſcatet Hiſtoria; conemur ea, quæ hoc noſtro Regno, atque ætate geſta ſunt, recenſere, utpote ſpatiis viciniora, quæ magis nos cautos ad noſtram conditionem noſcendam reddere valeant.

Igitur ab expugnatione hujus noſtræ Urbis ab Aiphonſo Aragonum Rege, ejuſque direptione, ut par eſt, triſti enarrationem ordiemur. Antehac geſtorum per me nihil novi, & hujus rei minime meminiſſem, ni magnitudo facinoris pavores ingentes, ſtrepitus, & diſcurſus diripientium Civitatem tenellæ memoriæ ſervandum impreſſiſſent. Cepit Urbem Alphonſus, exegit hoſtem Renatum, triumphavit more Majorum, qualis ante eum apud nos nemo oſtendit ſe Regem; & quæ Majeſtatem Regiam decent, exercuit, donavit, Regia ſpectacula edidit, & magnifica cujuſvis generis, nuptias celebravit, equeſtres haſtarum ludos, convivia, & ſacronum pegmata exhibuit publice; & ut paucis abſolvam, nil denique omiſit, quod ſibi laudem & gloriam, Populoque hilaritatem exhibere poſſet. Quin & venatui, aucupio, Venerique affatim indulſit. Regiam nobili, ſpecioſa, magnificaque ſupellectili ornavit. Aulæis exquiſitiſſime elaboratis argento auroque adeo abundavit, ut repoſitoria in Turris effigiem ſubſtructa, vel erecta, ſuſtinentibus animalibus eodem metallo fabricatis, ſuiſque pretioſis armis inſtructa, multiplicibus vaſibus non ad uſum tantum, ſed ad invidioſam oſtentationem opplerentur. Gemmas, margaritas, carbunculos, cæteraque id genus pretioſa enumerare vanum eſſet, cum conſtet, iis rebus reliquos ſuæ tempeſtatis anteiſſe Principes. Interjectionibus tamen iis, quæ lætitiam ſæpe interrumperent, multaque etiam quæ mœrorem, querelaſque inducerent, germanorum iguominioſa rejectio ex Hiſpaniis; & alterius mors, patrimoniique ibi amiſſio; clientes, partiumque ſuarum fautores, tot Hiſpanos Principes viros ad ſe exutos bonis, exuleſque deveniſſe, quibus conſuluiſſe, & eorum vidui proſpexiſſe non ſine angore animi credi par eſt, diſpendio-

que maximo; & præcipue cum præſentibus illis, ſe aut impotentiæ, aut ingratitudinis argueret, cum talia paſſos ſua ſub ſpe videret; bellorum infelices exitus, ſolutæ cum ignominia & deriſu Urbium obſidiones; crematæ ab hoſtibus naves intus Neapolitanam molem; ipſoque ſpectante obſeſſa, & pretio redempta claſſis corrupto aere; adverſæ profecto minæ adventantis Andegavenſis Regni æmuli, magna Italiæ parte, & Pontifice illum attrahente; præſumti Regni novi motus (quibus parem nequaquam futurum multorum opinio erat), maxime vexabant, & felicem negabant. Ad hæc heredis ſollicitudo, quando ipſe Ferdinandum nothum in hoc Regno ſibi ſuccedere vellet, & ſorte Carolus Vaſconum Princeps ex fratre nepos adeſſet, & valetudine, qua deceſſit, Aula omnis eſſet in factiones parteſque diviſa: cum alii Ferdinandum, alii Carolum Regem vellent, quæ eum graviter ægrotantem non latebant, adeo ut triduo ante obitum e Nova Arce, cujus occupatio plurimum ad Regni ſucceſſionem referre credebatur, ad Megarim, quam nunc Ovi Arcem appellant, transferri ſe voluit, ne promiſcuus utriſque pateret aditus, ſed tantum iis, qui filium Ferdinandum Regem præoptabant, in cujus verba & Arcis Præfectum jurare coegit. Iis ſollicitudinibus, moleſtiis, curiſque anxius deceſſit, morbo inſuper immundo, & pertinaci, involuntario ſcilicet, inſenſibilique ſpermatis fluxu. Hæc exitialis illi exſtitit valetudo. Sed quoties luſtratam Urbem meminimus, & ſuſcepta redditaque vota, periclitante illo? Quot læta, triſtia, magnifica, modica, & Regi, & Populo ſuo mors momento compoſuit? Numeratur etiam inter ea, quæ triſtem illum reddebant, præſumptio futuræ ſucceſſorum minæ. Dum enim Caſtrum novum ex diruto tam nobile reſtitueret, ſæpius dixiſſe fertur: *Si aliud, quam Novi, loco nomen ineſſet, profecto ne quadrantem quidem in illius inſtauratione erogaturus eſſet.* Siquidem pro comperto duceret, & Arcem, reliquumque Regnum non diu poſt in alienas hoſtileſque manus deventura. Sed idem, quod prius Caſtro ſervante nomen, non velut munimentum a ſe poſitum, ſed prædæ loco ceſſurum hoſti. Potuerat Regis hujus vita ſatis documenti dediſſe, quam infirmæ conditionis ſimus, qui tantum Regem ſic jactatum fortuna vidimus, niſi filii, nepotumque progreſſus, & exitus id clarius oſtendiſſet.

Adſit ergo Ferdinandus filius, & hic Regnum auſpicatus adeo graſſante peſtilentia, ut Neapolim relinquere, Capuamque ſecedere coactus ſit, nondum ſtabilita re, & nutante Regni magna

gha parte novitatibus audente, id procurante Callixto Pontifice maximo, qui non desistebat Proceres, Regnique populos adversus illum suscitare, tum Pontificali auctoritate, tum Ecclesiæ prætenso jure. Miserat enim diplomata, quæ Bullatas hodie literas nuncupamus, quibus cuncta in favorem Ferdinandi edita a primoribus irritabat, eumque deinceps regnare inhibebat, subditosque sacramento solvebat. Hæc quotidie intentius meditantem Pontificem mors occupat, in cujus locum Pius Secundus sufficitur, adeo benignum favorabilemque illico Ferdinando se ostendit, ut Callixti revocaret literas, & anteriorum in Ferdinandi favorem, additis insuper suis, ratas haberi voluerit; quin etiam Legatum, qui corona, reliquisque insignibus Regiis illum ornaret, in Regnum miserit. Vix coronam sumserat, & ecce Tarentinus Princeps ipsius Ferdinandi uxoris avunculus, una cum Rossani Principe ejusdem Ferdinandi sororio, quos quasi stabilimentum successionis Alphonsus pater illi providerat, plerisque aliis sibi adscitis ad Andegavensem defecere, in illumque evocatum juravere. Itaque factum est, ut reliqua fere Regni pars ab illo brevi defecerit, despicabilemque haberet. Nec defuere, qui eum insidiis appeterent, quippe cum per intermedios conventum esset de compositione cum Rossani Principe coram per se remotis arbitris agere, ad destinatumque locum uterque devenisset, duobus solis comitibus, non propugnatoribus, sed spectatoribus potius, ubi nunc data receptaque salutatione, paucis ultro citroque habitis verbis, Princeps socius ad id ductis annuit, illicoque strictis gladiis in Regem pergunt, qui & ipsum ad propulsandam vim nudato gladio offenderunt. Referre solebat Rex, cum inter loquendum verba Principis titubantia, minimeque præsenti congressioni accomoda accepisset, in suspicionem futuræ perfidiæ devenisse, ideoque tam paratum promtumque hosti se obtulisse. Deveneruntque tandem cominus, ut gladiis se impeterent, pluribusque ictibus nequidquam illatis (erant enim utrinque armis muniti) Rex a tribus fere circumventus, ea se alacritate tutatus est, ut illæsus hostes dimoverit. Interea, qui eminus spectabant, voces substulerunt, & Regis comites se proferre coeperunt. Sic frustratus opinione Princeps, cum comitibus reversus est. Repertum, ubi decertatum est, mucronem accepere, & veneno tinctum fuisse deprehenderunt; exciderat enim inter impetendum e tribus uni.

Non diu post apud Sarnum profligato fugatoque exercitu, castris amis-

amissis direptisque, tutari se Neapoli fuga necesse habuit, ubi obsessi instar usque ad suppetias degit adeo arcte, ut gratia remittendi curas, inter astantes moenibus ruinas ac macerias accipitribus aucupatus sit. Quo tempore Isabella uxor quotidie in Divi Petri Martyris claustro, vasculo ante se posito, velut stipem emendicaret ab iis, quos ad hoc evocaverat, pecuniamque in sui militumque subsidium mutuo poscret, artificumque omne genus, ut sibi, viroque indigentibus quitibet sui artificii opera crederet, persoluturam se brevi, occasione oblata, polliceri, inter preces & verba minas indicantia excidebat. Sicque factum est, ut non modicum & pecuniarum & operum in subsidium comparavit. Interea insontes aliquos exules extorresque exegit, (forte non sine moerore & animi angore credi potest) sive ad id metus & suspicio adegerit, sive importunitas eorum, qui talium delatores, & in Regem caritatem ostenderent, & sibi laxiorem apud illum locum facerent. Adde & liberorum immaturas mortes, quorum alterum in Patrum Collegium cooptari curaverat, ingenti cura & impendio, ut esset in officina illa, ubi demolitoria Regum Siciliæ plerumque fundantur, qui jugi animadversione orientia in patrem mala deprehenderet, quæ facilius caveri possent. Quod si mors huic se cautioni opponens, suum morem secuta non fuisset, bene certe consultum erat; quippe eum se gerebat, ut multa, quæ domum & familiam subverterunt, ipse forsitan ne inciderent, avertere potuisset. Quique senio & valetudine ad id devenerit, ut armorum meditationes, venationesque, adde lusus, quorum studiosissimus & æque appetens exstiterat, fastidiret, adeo ut omnem Civitatem una consenuisse diceres. Nonne toties queri audiebatur, quod jam nec dapes sumeret, nec vinum sapidius biberet citra displicentiam & dolorem, propter dentium orisque infirmitatem? Et citra omnem reliquam vitam adeo putidiusculus ac morosus devenerat, ut neminem esse, qui cœnam struere, neque vestes aptare, lectumque illi sternere sciret, impatientia pueri queri soleret? Et tamen iidem erant, quos nuper laudare, & in suo quemque officio agilitatis ac sedulitatis extollere consueverat. Veniamus ad metam: Finiitne labores ærumnasve saltem cum vitæ usura? An potius deficientibus deliciis, viribus, & vivendi causis, ærumnæ & anxietates magis viguerunt? quæ profecto omnem priorem felicitatem delere potuerint; & novissime inexpectatus eventus, si felicem illum invenisset, reddidisset profecto infau-

infauſtum & mœrentem. Nemo enim in animum induxiſſet, Pontificem cum Mediolanenſi Ludovico, per ſe Ferdinandum Regno perturbare diſſiſum, ad ducendum in eum Francorum Regem conſpiraſſe. In quorum ſuſpicionem cum deveniſſet, diſſimulans, Oratores ad quemlibet machinantium, tanquam ad amicos deſtinavit; quin etiam ad Gallorum Hiſpanorumque Reges ante ſuſpectum, exploraturus, an vera ſibi delata eſſent; & ſi vera reperiſſent, tentarent illa nihilominus quovis modo infringere; quod ſi nec hoc quidem ſuccederet, auxilium ab amicis expoſcerent. Illi vero per literas certiorem fecerunt, a Pontifice & Ludovico ſibi verba dari, idque liquere ambagibus doloſis, inconſtantibuſque. Qui vero ad Gallum ierant, ad illius conſpectum non admittuntur; dona, quæ attulerant, repudiata, & remiſſa, ſuoſque etiam fines ociſſime exire juſſi, palamque Regem Regi ſuo hoſtem eſſe admoniti. Ex Hiſpania autem, etſi non adeo hoſtile, ambiguum tamen allatum eſt reſponſum, quo credo ſatis patuiſſe Regi adverſam illius mentem. Nondum Legati redierant, & ecce ſubinde aderant nuntiantes, Gallorum Regem exercitum cogere, adeſſeque Italorum legationes, quæ illum approperare urgebant. Cum jam accepiſſet, magnam partem Alpium tranſgreſſam, ſubſequi Regem ingenti comitatu manu, indicto prius per præconem bello, ſpe decidit, cernens tam valido ab hoſte, totque ſociis ſulto, ſe illi imparem, nullum opperientem auxilium peti. Tot hæc confluentia mala ſenem et ægrum conſternatum reddiderunt, ut ſæpe ſecum obloqui auditus ſit, & ſæpe etiam adſtantibus amicis promſiſſe verba nihil ad præſentem ſermonem facientia, ſed curam ſollecitudinemque adventantis hoſtis, ſociorumque illius, in ſe odium, immenſo ingentique dolore percitus, intempeſtive edere noſcebatur. Creditur etiam non citra veriſimile, triſtibus nimiiſque vigiliis, curiſque debilitatum caput in catarrhum incidiſſe, quo biduo extinctus eſt.

Scio, non deeſſe, qui Principis hujus reminiſcentes, ſuperficie tenus vitam conſiderantes, felicem fuiſſe velint. Noverant enim illum ex omnibus adverſis majorem emerſiſſe; perſpexerant etiam in multis divinum adfuiſſe auxilium; quippe Callixtum Pontificem tam infenſum hoſtem, & ad nocendum efficacem, morte abſumtum, ſuſſectumque in ejus locum Pium, qui adeo benigne amiceque cum illo egit, ut ne pater quidem amicius agere potuiſſet. Meminerant, poſt adverſam apud Sarnum pugnam, opportune copioſeque illi ſubventum; & fugatum hoſtem, &, e

Regno tandem exactum; deque adversarum partium fautoribus, & suarum defertoribus pœnas ex animo sumtas. Viderant illum quandoque usum firmo validoque corpore; armorum equitandique peritia non tantum Reges, & sibi pares anteisse, sed multos, quibus ea res peculiari exercitio gloriæque fuerat, superasse; & strenui militis, providique Ducis sæpe navasse operam; voluptates sibi undique comparasse, illisque fruendis fortunatissimum. Hæc profecto magnifica, lætitia gaudiisque plena, felicitatem parturientia, iis fortasse videri possunt, qui segregata illa tantum cognoscunt. Nam si mala, & incommoda illis inserta & intercurrentia noviſſent, non ejusdem fuisse sententiæ reor. Nos autem utpote illorum temporum conscii, imparem quantamcumque illius lætitiam spectamus, quæ aut non statim, aut paulo post, aut parem, aut majorem tristitiam attulerit. Quin finis rebus felicitatis, & miseriæ nomen imponere solet. Revertar ergo unde prodieram, asseverans, quod prædixeram, inanem vitam, fictilem, & ut sapientis verbo utar, vanos omnium mortalium deprehendi actus. Cujus documento satis esse potuisset duorum Principum vita, & exitus; nisi infelicitas filiorum se obtulisset.

Quid enim hilaritatis inesse potuit successori Alphonso, cognomento Secundo, quem diademate insignem raptari per Urbem vidimus, & exultantibus reliquis, ipse tristi, reductoque vultu, & minime tantam celebritatem decenti visebatur? Rescitum est postea, eo ipso die certiorem factum, transcendere jam Alpes ingentes Gallorum copias, quibus defectus omnibus minime per se obsistere posset. Discerne ergo tu in hujusmodi commissuris tristibus ac lætis mentis humanæ habitum. Desperatis de se rebus, credens in se conceptum odium, non etiam in filium perseveraturum, illi Regnum, vel potius Regni nomen reliquit; conscenditque triremes Celtiberiam petiturus, in Siciliam deflexit, nec ulterius navigare per suos licuit, ubi velut non liber, arctius custodiebatur, Messanæque decessit, ibique ejus ossa ad hunc exulant diem.

An Ferdinandus filius benigniori usus est fortuna, qui vix adepto umbratili Regis nomine, coactus est etiam Arcem hosti tradere? Quam se spectante, Germani, quos præsidio relinquebat, diripientes, vix illi tutum ad naves, quibus discessurus erat, perfugium præstitere, non tamen sine maximo periculo & trepidatione; & tamen hic post adeptam temporaneam victoriæ laudem, ob nimios labores, assiduasque curas in lethiferam valetudinem in-

Digitized by Google

incidens, ſtatim Neapoli moritur, ejuſque oſſa in Divi Dominici æde repoſita, una cum cadaveribus majorum ſuorum, eodem arſere incendio.

Adſit Federicus, qui noviſſimus ex illa familia apud nos regnavit. Oſtendet profecto, quam cœnoſo, falebroſoque itinere pertractus ſit ad infelicem metam. Quippe ipſum momentum, quo induere eum Regno, cujus id munus erat, oſtendebat exuere fortunis; & ſi quid pretioſæ ſupellectilis ſupererat, cepit, & ſubinde non deſtitit. Spectabat animo magnos Chriſtiani Orbis Principes Regno inhiantes ſubdole exitium ſibi parare; & quando forſitan Rex rei ſuæ bene conſulere potuiſſet, doloſis perfidiſque ſuaſionibus & minis, ſi non clare prolatis, apertis tamen conjecturis inhibitum. Non parum afflixiſſe eum credimus, talem ſe haberi, ut non puderet Pontificem Alexandrum, legitimam Regis filiam ſibi nurum expoſcere, dari que ſpurio, qui nuper Cardinalis eum coronaverat Regem. Quod cum minime ſucceſſiſſet, deſtinavit omnino Regem, Regnumque ſubvertere; utque facilius res ſuccederet, obſiſtique minime poſſet, adſcitis duobus maximis Principibus, quorum uterque Regno aſpirabat, illud inter eos diviſit, Pontificalique auctoritate, qua diviſionem firmarent, Federicumque ſugarent, ſanxit. Inſuper militem, Duce filio, qui Coronam attulerat, cum Gallorum exercitu ad Regem exigendum miſit; quod brevi perfecerunt, cum poſt internecioſam perpudendamque Capuæ urbis direptionem, deploratis rebus, coactus ſit qualeſcumque conditiones accipere, etſi indignas. Itaque Gallias cum infantulis liberis, uxoreque exulatum, ſeu mendicatum, pro tutiori liberiorique petere viſum eſt. Quemadmodum autem receptus habituſque ſit, illius comites, qui adfuere, longe melius recenſerent. Majuſculum e liberis, quem Ducem Calabriæ declaraverat, Tarentum cum præſidio tenentem, Hiſpani obſederant. Tandem conditionibus ſibi prænotis, illorum Dux, cui ſe crediderat, illico ad Ferdinandum Regem Catholicum in Hiſpaniam miſit: volentem, an invitum, hoc quoque ipſi ſibi norint; cujus facti notitiam auctarium fuiſſe paternæ calamitatis, nemo ſanus dubitare poteſt. Hoc anno ſtatu, & fortuna ſpoliatus Turoni mortuus, & ſepultus, cum oſſa Neapolim deferri expoſceret, negatum eſt. Nec ſecum ſati iniquitatem terminavit. Quippe annuum ſalarium, eo ſtatim mortuo, uxori viduæ mulieri, ac orbis patre pueris ſubtractum eſt; cui etiam exeundi fines conſtituta dies eſt, certiorque facta, a neutro

Regum aliquid ulterius ſubſidii ſe habituram. Quam in Mantuanum agrum ad Antoniæ ſororis ſuæ, etiam viduæ, jura ſe recepiſſe audivimus, ibique vitam ducere, qualem, qui aliena mercede, & diurna liberalitate victitant. Nihil tamen perpetuum, ſed ne anniverſarium illi quidem a quoquam elargitur. Hunc non modo Federici exitum, ſed reliquorum, qui a primo Alphonſo ad eum regnarunt, penſiculate ſingula expendenti, & invicem conferenti, præponderaſſe triſtitiam liquere credo; & læta ſi quæ arriſere, inſtabilitate tamen, & brevitate adſtipulata ſunt Salomonis ſententiæ, omnia vana, atque futilia dicentis. Quam ſententiam confirmat Severus Romanorum Princeps, qui cum per civiles militareſque artes ad Imperium perveniſſet, & rerum ſumma potitus fuiſſet, pro nihilo ducens ſubriſiis exclamavit: *omnia fui, & nihil expendi.*

Et ambagibus captionibuſque ambiguis omiſſis, quod mortui infeliciter, miſereque quamplurimi eorum ſint; Regnum, reſque omnes ad hoſtes devenerint, prævidentibus ipſis; omnia denique fumo evanuiſſe celerius, nemo inficiari audebit. Talia ſibi, qui magnus & felix videtur, meditari velim, noſcatque Principibus illis non defuiſſe opes, non vires, non conſilium, quominus affinitatibus, amicitiiſque ſtabilire etiam Regni ſucceſſionem poſſent; porro qualiter evanuerit, videat. Hominem ergo ſe ex iis noſcat, & ne ſe impleat falſis magnitudinis felicitatiſque nominibus. Statueram noſtri tantum hujus Regni revolutiones, ac Principum defectus recenſere; ſed & affinitatis copula, fatique ſimilitudo extire limitem, etſi non loci, non tamen temporis, ad aliena transire cogit. Quæ diximus magna ex parte vidimus; quæ dicturi ſumus, relatu fidelium quidem narrabimus. Quare quoniam notiſſima proferemus, a mendacii ſuſpicione tuti erimus.

Sfortiadum qui primus Mediolanum ſibi comparavit, Franciſcus fuit, vir inſignis pace belloque, & ſingularis virtutis, quem ſi ad nos uſque Deus incolumem ſervaſſet, ingentia mala, quæ familiæ ſuæ evenere, avertiſſet. Hic Mediolanum adeptus paucis poſt annis, quam Alphonſus I. Neapolim; ſiquidem hic Regnum anno ſalutis Chriſtianæ 1442. auſpicatus eſt; alter vero Ducatum anno 1450.: totidem fere annis, eodemque modo interſitis, quo ipſi regnare cœperant, filii deſivere. Quippe Franciſcum Mediolani florentem, magnum profecto referentem Principem, & majoribus illis priſcis comparandum; multis venuſtiſque liberis lætum; Aulamque ejus omni nitoris genere fulgentem; con-

Digitized by Google

conſultiſſimum Senatum juriſdictioni præſidentem, nec inferiorem Conventum, cum tranſigeret cum Principibus, Rebuſque publicis negotia; numeroſam inſuper rei militaris manum, egregieque inſtructam, qua non modo ſuos fines tutari poſſet, ſed alienis quoque terrori eſſe; eumdemque fultum, & erectum magnificis, validiſque amicis, & affinitatibus magnis atque honeſtis, hunc ipſum non diu poſt ſpectavimus male affectum valetudine. Turgebat enim aqua intercute; vigor ille oculorum, quo maxime polluerat, vivacitatem alacritatemque perdiderat; os lividum & exangue ſpectabatur; armorum ludi, cantus, ſaltationum hilaritas, quibus maxime delectatus, fuerat, tœdio illi jam devenerant. Inerat ſucceſſor non parum moleſtiæ Patri ingerens, de quo peſſime ominabatur. Nec id amicos celabat mœrens; prætendebat etiam egeſtatem, ſe exhauſtum obæratumque Neapolitani Regni proximo bello, quærens militum ſtipendia: quare familiam minus ſolito elegantique cultu ornatam videres, Aulamque reliquam priſtinæ collatam, rudem & impolitam; ſubſqualebant enim ſubtractis ſalariis & donis, quibus illi commodius vivere ſolebant. Urgebat illum inſuper aſſidua, veluti captivi redemptio. Noverat enim Gallorum Princeps, Franciſcum Ducem maxime timere, & cavere, ne ſi quid petiiſſet, denegaret. Quare non deſiſtebat ſubinde mutuum ſine reſtitutione expoſcere, quod licet ingratis, præſtabat tamen aliquid, quod etiam nominibus ad præfinitum tempus non reſpondere dicebatur. Hoc in ſtatu deceſſit; felix, an ſecus, exactiori judicio relinquamus.

Succeſſor Galeatius, qui patrem de ſe male opinantem vexaverat, varie diſſimiliterque in utraque parte ſe geſſit, neutri ſatis conſtans. Et hic ipſe velut victima a domeſticis frequenti multitudine Templo in ipſo ſuffoſſus aſt. Qualem vixiſſe credimus, quem timor interna loricula munitum prodire cogebat? Cujus rei non ignarus percuſſor, non pectus, ſed inguina iteratis ictibus repetiit. Infantem filium, qui remanſerat, mater patriique alendum, tutandumque ſuſcepere. Bone Jeſu! quam brevi concordia id egerunt! Quippe divulſa in partes domo, modo uxor leviris inſidias parat, modove factionis metu fugere compellit, ipſaque in fuga unus eorum rapidi fluminis tranſitu merſus & obrutus eſt.

Redienſque mox Ludovicus exilio, de patria, deque ejus fautoribus pœnas abunde ſumſit; puerum, Arceſque in ſuam poteſtatem tutelamque ſuſcepit, diuque pro tutela imperio uſus eſt.

Digitized by Google

Tandem Dux idem, & fratris filius, cujus tutela gerebatur, moritur, constante fama, quod a patruo veneno sit extinctus; quod verisimilius factum est, quando statim se declarari Ducem voluit, extante filio peremti Ducis. Et Ludovicum ejusmodi patratorem audivimus, hostium vim, populique inconstantiam veritum, Mediolano aufugisse, omneque imperium, & Arces tam munitas, tamque de se benemeritis traditas, nulla cunctatione hostibus præbitas, & si revocatus est Mediolanensium favore, sui tamen maximo exitio. Revocaverant enim eum odio Gallorum, & sperabant plerosque eadem de causa facinus sequuturos suum. Quod minime evenit. Quippe ostensum est, quam Gallorum odium non minus reliquorum, quam Mediolanensium fuerit; sed timore detenti, ne illos sequerentur, inhibiti. Cumque neminem sibi auxilium ferre conspiceret, exercitu Mediolani comparato pergit ire obviam Gallorum copiis ad Arcem obsidione liberandam adventantibus. Dumque brevi castra e regione consedissent, ecce Helvetiorum manus, pro fidissima conducta, & hactenus habita, eum hosti tradit, quem partium adversarum Duces una cum parvulo ex fratre pronepote, appolita custodia ad suum Regem in Galliam misere. Finem illorum expectatum brevius referemus. Alter eorum, Ludovicus scilicet carcere detentus noctu caveam intrare ferream, instar feræ, cogebatur; talique statu decessit. Alterum nepotem inaudito modo, ne gigneret, emasculârunt, non exsectis quidem testibus, sed sacris initiato, utque perpetuo celebs, & ut ita dicam Claustralis esset. Habetis Sfortiarum magnitudinis, & Regni originem, & terminum; quamque fuerit brevis, qui ne hominis quidem senioris ætatem excesserit, quamve Regnum illud fuerit varium & exercitatum, quantisque periculis, & infamia laboraverit, qui propius astitere, dicant. Nulla enim scribi posset tam sæva, sceleslaque Tragœdia, cui Domus illa non copiosam materiam suffeciisset. Fuerint utinam documento felicitate elatis, & arrogantibus, qui ne ipsi quidem Deo accepta referunt, harum exitus Familiarum, quas retulimus; quarum Principes dum ex se, suaque prudentia & consilio regere autumantes, & augere Imperium posse, interim Divinum exposcere auxilium negligunt, & ea mentis cæcitate plectuntur, ut uterque utrique invidens, nec alter alterum augeri permittens, se invicem perdidere, hostibus facillime præbita opportunitate. Nec mirum videri debet, tot Italicas gentes Principatibus defectas me præteriisse, quoniam in animo fuerat nil exterum recensere. Quid enim me traxerit

ad

Digitized by Google

ad Sfortiarum mentionem, jam dixi. Revertar ergo ad propiora, & magis nota, utpote quæ nos afficere, & in memoriam noſtræ imbecillitatis efficacius ducere valeant. Regum igitur enarratis inconſtantis fallaciſque vitæ eventibus, par eſt, qui primi ab ipſis ſunt, citare. Ii profecto Principes habentur, non Regio tamen orti genere.

Horum maximus, quos ætas noſtra tulit, Joannes Antonius Urſinus exſtitit, quem plerique ejus tempeſtatis viri ſauſtum, felicemque clamabant. Spectabant enim ſuos adeo produxiſſe fines, ut Tarento digredienti liceret quotidie in ſuas ædes, locaque divertere, donec Neapolim perveniret; Ducatus & Comitatus tot ſibi congregaſſe, ut ſingulorum enarratio faſtidium audientibus generare poſſet; quin etiam Principatu militiæ, quem noſtri Comeſtabulatum vocant, pollere, e ſeptem Viris, qui Regi in ſolio ardui aliquid molituro adeſſe debent, facile Princeps. His tot proſperis ſpecie tenus proſpectis, facile erat talem æſtimare, ſi non preſſius rem & vitam taxare, inſpicereque vellem; inventurent nimirum, unde judicium mutarent. Ne vero inſcii errent, quod de illo cognovimus, fideliter referemus. Is puer relictus a patre, cujus tutelam Maria mater gerebat: hæc mox in ſuſpicionem venit alienati a Ladislao Rege animi, verſique in Andegavenſem Ducem illius æmulum. Ut vero tanto diſcrimini occurreret (plurimum enim intererat Tarenti amiſſio) Rex feſtinans Tarentum cum Maria liberiſque obſedit. Tandem Mariam Regi matrimonio ſibi jungi viſum eſt. Quo peracto, receptis Arcibus, uxorem Neapolim cum liberis tranſtulit; ubi uxorem, non ut ex animo ductam habuit, illius filios ſuoſque privignos pro obſidibus cuſtodiri juſſit. Hinc ordiri felicitatem cœpit. Mortuo vero Ladislao, Mariæ nuper Reginæ, ut ſe, filioſque liberos aſſereret, recuperandique ſuum, liberorumque patrimonium facultas daretur, viſum eſt cuidam, privato quidem, ſed Principi ſuo percaro uxorem dare filiam, atque illa oppida & patrimonii partem genero, etſi nobili, ſed nihil ad filiæ natales, donare: quæ non ſine aliqua nominis diminutione, & inter ingratos, facta haberi poſſent.

Qui Joannes Antonius cum adoleviſſet, & res per ſe ageret, & ad officium Reginæ Neapoli adeſſet, adeo ne caperetur expavit, ut ex Capuanæ Arcis promurali ſe præcipitare non hæſitaverit. Sic externatus fuga citiſſima, ſubinde reſpectans adeſſe, qui ſe vinctum retraherent, oberrans, non ante requievit,

quam

quam ad matrem, domumque pervenit. Non diu poſt exigente ætate, naturaque ſtimulante, cœpit arma tractare, ſeque Ducem gerere; quare ſuſpectum Reginæ ſe fecit, quæ decrevit illum omnino perdere. Tribus ergo brevi comparatis exercitibus, ad eum delendum tres Duces miſit; Ludovicum ſcilicet adſcitum in filium cum ſuis copiis, Legatum ex Regia, qui Prætorio imperaret, & Jacobum Caudolam cum ſua manu, Ducem ea tempeſtate eximium: qui brevi maximam Civitatum, & Caſtrorum partem illi abſtulerunt. Reſtabat Tarentum cum paucis communitis fidiſque Oppidis, quæ facile eadem illa ætate amiſiſſet, niſi peropportune Reginæ mors interceſſiſſet. Quare expectatio majoris motus, Duces, & exercitus diſtraxit, & ut ſua quiſque peteret, effecit. Sic obſidione ſolutus brevi ablata recepit, revocatis præſidiis, eorum Ducibus propriora curantibus.

Deinde Alphonſi Regis bello, cujus partes ſequebatur, a Legato Eugenii Pontificis profligatus & captus, ac diligenti cuſtodia ſervatus; ubi profecto, aut perpetuo, aut diutius manſiſſet, niſi Legatus veritus æmulorum Principis, ſublato eo, potentiam, ut eſſet, quem aliquando illis objicere poſſet, eum liberaſſet. Tandem cum Alphonſus Regno potitus, illo potiſſimum adjutore, triumphare vellet, illo pompæ die cœperunt inter ſe ſimultates, cum præcedere currum dedignaretur, ne de ſe etiam triumphare videretur, qui victoriæ comes, vel alibi præcipuus particeps exſtitiſſet, & tantum ad victoriam contuliſſet. Peracto deinde Neapoli conventu, Tarentum illico petiit, eo animo, ut quemadmodum re oſtendit, non Aulam & Regem ulterius adiret. Deinde ſemper anxie timideque vixiſſe fertur. Nec ceſſavit ſubinde muneribus Regem palpare, & illius Purpuratis annua ſtipendia pendere, ut eſſent, qui conſilia & animum in ſe Regis deferre poſſent, quo ſibi cavere, rebuſque ſuis facilius, explorato Regis animo, conſulere poſſet. Interea exitiale odium inter ipſum, Pyrrhumque Baucium, Neptis ex fratre virum, Venuſiique Ducem oritur, quo adeo commotus eſt, ſive cauſa, ſive prætextus fuerit, ut poſtea a Ferdinando deficeret, tanquam a Pyrrhi fautore: unde certe tot ingentia mala & privata, & publica prodiiſſe vidimus. Indubium eſt, quibus etiam verminibus tortum vidimus, cum præſens ſpectare Jachettum a ſecretis, quem pro ſe ad Regem miſerat, donis & pollicitationibus corruptum ſibi exitium intentantem. Quod cum ſciret, aut pro comperto haberet, ridere & jocari conſpiceretur, diſſimulareque rem, odium

& ultionem ſupprimere Regis metu cogeretur, ad illius mortem; de qua certior factus, arripi ſtatim hominem juſſit, ſæviſſimeque torqueri; deinde per oppidum vicatim raptari, poſtremo in partes diſtrahi, illaſque in terroris ſpectaculum frequentioribus urbis locis attolli, minime diſſimulata cauſa, & fortunas, quibus maxime eum locupletaverat, etiam publicari voluit. Bello etenim, quod in Ferdinandum agebat, quam ſæpiſſime miſerrime queri viſum eſt, pecuniam, quam tanta cura induſtriaque cumulaverat, ſtipendio latronum in alienam utilitatem diſpergi, miſerrimum ſe queritans. Finem quoque nihil vita quietiorem vidimus, cui etiam ægro neceſſe fuerit valetudinem ſimulare, & per loca gravia, paluſtria, inſalubria, modo exercitui commoda, exercitum ducere, ſicque ingraveſcente morbo invitus Altamuram conceſſit, ubi breviſſime moritur, non citra famam eliſi corporis lapſu: quod quamquam multi, qui id reſcire poterant, negabant, verum repente minimeque obſervatum deceſſiſſe volebant, & nil prorſus de ſe, deque ſucceſſione caviſſe. Principatum, gazam, militem, denique quæ illius fuerant omnia, ad quem minime voluiſſet, deveniſſe cognovimus: adeo mors una illum ſuaque finiit, ut pleriſque, an fuerit, hodie ignoretur. Narrabuntur deinceps defectæ Familiæ, & quarum ingentia patrimonia ad alios devenere, nec etiam ſuperſunt, qui vel paterno, vel avito jure illa repetere poſſent. Horum lapſum, & unde deciderint, demonſtraſſe ad propoſitum ſat fore credimus; Hiſtoriam enim minime attingimus. Recenſebimus tamen, quæ ipſi vidimus, ut liquidius percipi poſſit veritas varietatis volubilitatiſque rerum; & quam multiplicia omni ævo, univerſoque Orbi contingere potuerint, quando in hujus hominis ætate, tamque in anguſto Orbis angulo ſucceſſiſſe tanta ſpectavimus.

Martianorum Familiam inclytam, potentemque diu in Regno extitiſſe nemo eſt, qui ignorat, modo vel parum res noſtras noverit; geſſiſſe Magiſtratus præclaros, Ducatus, & Oppida poſſediſſe maxima, & plurima; longaque ſerie dignitatum, fortunarumque magnarum deveniſſe rem omnem ad Johannem Antonium Martianum Ducem Sueſſæ, Regnique Admiratum, qui e ſeptem Magiſtratibus alter a primo habetur. Inerat ei filius Marinus, Roſſani Princeps, qui ingentem nobilemque dominatum materna ſucceſſione poſſidebat. Satis duxi, ex plurimis ejus titulis maximos oſtendiſſe; ne ſi forte ſingulos percenſere voluiſſem, multitudine forſan & faſtidio, viles illos reddidiſſem. Juve-

rat

rat Dux ipſe plurimum Alphonſi partes, tum præſenti officio, tum opportunitate dominatus, quo non parum ad victoriam facultatis habuit; de cujus ingratitudine maxime triſtis & mœrens lamentabatur, ne oppidulo quidem ea victoria auctum ſe afferens; quin potius, ut ſuam fidem liberaret, pecuniam, quam bellorum ſubſidio hinc inde fœneratus fuerat, divenditis paternis prædiis ſolvere cum fœnore oportuerit. Nec minori ſolicitudine domui ſuæ vacare licuit. Cum uxore Marini matre perpetuo diſcors vixit, quæ etiam capitis illum accuſare apud Reginam affinem ſuam non ſit verita: qua mortua ad ſua in Calabriam divertit. Dux vero Sueſſæ perſtitit, uterque propria curaturus. Nulla interim de conjugio cura. Sed ne Marinus quidem filius adeptus maternas fortunas, paterna cum dignitate coluit. Quippe fretus Regis affinitate (nam illius filiam duxerat) illum vexare non deſiſtebat, tentans Patris ſubditis ante tempus dominari, oſtentans ſe brevi Patri ſeniori ſucceſſurum; interim melius per ſe res adminiſtrari poſſe. Quibus perſpectis tutius Patri viſum eſt, uxorem ſibi, illique novercam inducere, ſicque timorem filio incutere liberorum ex recenti uxoris ſuſceptione. Hæc non ab re dicta putentur; ſed cum viderint, Ducem hunc ſua in re mortuum, filiumque heredem, noſcant etiam, vitam egiſſe laboriosam, ærumnarumque plenam. Nam pergrave tuliſſe credimus, cum ſe ad jus trahi etiam a ſubditis, permittente Rege, videret; tamque minimi ab eo fieri, ut ne ſuis quidem libere moderari poſſet. Noſcant etiam, qui tantum bona noverant, hunc puritiæ & adoleſcentiæ partem in carcere egiſſe, adeoque ignominioſe habitum, ut ne ſororis quidem pudicitiæ parſum ſit; quin etiam veneno tentatum, quod eum perpetuo alvei profluvio affecerit, cum morte nequiverit. Deceſſit Sueſſæ, ſuperſtite Marino univerſorum herede; e ſecunda enim uxore liberorum nil tulerat.

Marini hujus vitam laborioſam, anxiam, ſuſpicionis timoriſque plenam, & finem miſerabilem plerique meminiſſe poſſunt, quibus propter ætatem licuit. Marinum hunc afflictis partibus ingratis in hoſtis ſui Regis arbitrium deveniſſe novimus. Is mox carceri traditus eſt, ubi XXX. annis cum filio detentus, inde eductus, ad quod mortis genus vulgo non liquet: tamen niſi ſævum & truculentum, exiſtimari non datur. Hujus filius Joannes miſellus a crepundiis carceri addictus, ubi pæne conſenuit, evenit, ut volubilitate rerum inde exiret; ſed ea libertate parum

pro-

profecit. Quippe brevi iterum captus, iterumque dimissus, & cum eadem ingratitudine Principum, quibus fideliter inservierat, alieno victitare pane coactus est. Et ne sic inops vagaretur, liberalitas Joannis Jordani Ursini effecit, qui in sua eum vocavit, tradiditque castrum unum, cujus censu se suosque sustentare posset. Ubi non diu post obiit, pressus multo ære alieno; sed Princeps ille, qui præbuerat victum, curavit etiam funus. Tanta, tamque præclara Familia, totque Civitatum, atque Oppidorum domina, in hoc defecit; nec supererat, qui illius nomine censeatur. Fortunas, & Principatus non ad unum aliquem devenisse, sed in multos distractos cernimus. Et hic finis Martianorum.

Perscrutemur & alias Familias, quarum magnos & potentes viros vidimus, qui hodie ignorantur, an fuerint, cum videantur eorum res per alienos possideri. Raymundum Ursinum Nolæ Comitem, Salernique Principem, plerisque aliis titulis clarum, insuper Regni Justitiæ magisterio e septem Magistratibus facile primo, aut certe secundo, quem sibi vivere deliciose fama erat, non semel vidimus permœstum afflictumque, præcipue cum filiolum, spem tantæ successionis, quem in specimen formæ & pulcritudinis ostentabat, intempestive raptum lugeret, indeque dissidium ab uxore perpetuum; desperans enim ulterius ab ea se liberes susceptorum, ad amicas spurioseque vertit animum: ex quo dissuta dominatus pars. Amalfiæ Ducatus, quem Rex affini tradiderat in dotem, ad eam a viro discrete viventem revertit. Prævenit & hic morte sua Domus excidium. Nam cum nothis filiis Oppida, Civitates, reliquaque fortunas testamento divisisset, brevi ex omni possessione decedere, nemoque eorum nec lapidem tantæ successionis detinere noscitur; & si aliquid per Ursinorum gentem, non utique ex Raymundi linea, vel voluntate.

Admonet me profecto locorum propinquitas, quam reor perpetuo inter vicinos discordiarum causam extitisse, ut mentionem faciam Honorati Gajetani, enarrato jam Marini Martiani, Domusque ejus exitu. Vidimus enim ipsum Honoratum Fundorum Comitem in mortem usque inter fausta feliciaque versari. Erat enim affabilis vir, assiduusque Regum comes; exhilarabat non modo sua comitate & humanitate Regiam, verum & Civitatem omnem. Qui cum militiæ, domique perpetuo Regibus adhæsisset, ingentem sibi & gratiam, & rem comparavit, auxitque se plurimum. Domum splendide ornavit Attalicis vestibus, aureis & argenteis

Digitized by Google

escariis potoriisque vasibus ; & ad ostendendam magnificentiam multa plurifariam duci & effingi curavit. Sua , uxoriisque indumenta serico auroque contexta ; Regium in morem torques; murenulasque aureas, lapillis gemmisque splendidas atque distinctas; togam ad talos dimissam conspersam margaritis, unionibusque videbamus. Ædificia multa , & privata sibi , & publica sacris in ædibus non pauca , in quibus sculpta Auctoris insignia cernuntur , construxit. Ad hæc tot humana blandimenta, fallacisque vitæ delicias, seu potius deliramenta , suspende judicium, donec alteram vitæ partem noveris.

Natus est Honoratus matre impari , quam tamen pater allectus amore liberorum , quos ex illa susceperat , uxorem duxit. Adeptus est Fundanum Comitatum, quem ad patruelem deventurum jure sciebat, non sine impietatis nota. Quod ne ad ulciscendum perquireretur , favore germani ab Alphonso Rege plurimum dilecti factum est , ut etiam post patris mortem succederet. Comitem deinde , quoties infirmitate partium , quas sequebatur , in discrimen sui, fortunarumque deveniisse vidimus! Novissime bello, quod Ferdinandus cum Andegavense gessit , ad id deveniisse res ejus visa est attritu partium , ut a Ferdinando steterit vel solus , quia hostis nullis conditionibus eum admittere voluerit , in gratiam illorum , qui Honorati dominium sibi deberi præoptaverant. Victore demum Ferdinando major emersrat. Et ecce Trajecti Comes illi primogenitus moritur , marem nullum relinquens filium. Non multo post , seu de filio alio male cogitans, seu amore percitus , uxorem delegit Equestrem quidem genere , forma tamen maxime placentem. Stetit ergo aliquandiu quietus , quietis Ferdinandi rebus , aut suppressis odiis quieti similibus. Ut vero status Regni turbari cœptus est , & Regnum Regemque hostes vexare , sic ejus familia velut furiis agitari , & filium tamquam hosti se traditurum , odisse cœpit ; e regione filium capi a patre, & exheredari insimulans , famulitium , Præfectosque Arcium partim minis, partim occultis pollicitationibus ad se trahere satagebat. E contra pater , illi ne obsequerentur, cavere, & apud Regem illum insimulare non desistebat. Tandem cum jam Domus simultates & odia continere amplius non posset , oporteretque illa se propalare , essetque filius in Regis officio , occulte a Rege petiit , ut filium caperet , arctæque custodiæ demandaret. Cui respondisse fertur, minime id sibi videri conducere honestati, nec forsan utilitati suæ : proinde opperiendum , an dies illi de erro-

erroribus filii satisfaceret, & sic posse consultius rem transigere. Cujus minime acquievit consilio; sed instantius idem expostulantem iterum Rex orare Comitem non destitit, ut rei conditionem velit bene perpendere. Si enim capiendo filium ei indulserit, adimet profecto & illi pœnitendi facultatem; quoniam si semel vinxerit, non fore ulterius sibi integrum dimittere, tum propter judicii inconstantiam, quia aut quod inique ceperit, aut quod leviter liberaverit, utrumque ne incurrat, vitandum: tum non esse illum ipsi patri caritatem exhibiturum, neque ipsi Regi præstiturum fidem, carceris & injuriæ memorem. Quibus acceptis magis excanduit, remissis statim, qui animum suum Principi patefacerent, obtestarenturque per obsequia illi præstita, per fidem spemque de illo conceptam, ne ulterius natum intercipere moraretur. Quod voluit, impetravit; filiumque eodem carcere, quo mancipatus est, defecisse audivimus. Erant, qui ipsum Regem narrantem audirent, se ad id non voluntarie, sed Patris impulsu, cui plurimum debere fatebatur, devenisse. Erat jam Honoratus natu grandior, & nomen habens uxoris, quare pleraque illius arbitrio, maxime post filii captivitatem, dicebatur administrare. Iis vitæ conditionibus Fundis moritur, infantulo captivi filii successore, qui paulo post supellectili tam nobili pretiosaque, totque pecuniis, nunc hac, nunc illa de causa exutus est: quæ cuncta ad Regem translata sunt. Quid? quod Comitatus, reliquaque sua oppida per perpetuos Familiæ hostes, cum quibus exitiales simultates sui majores exercuerant, detineri noscuntur, nepote omnino Avorum patrimonio extorre, licet Ducatus titulum, & oppida, & non pauca sui patrimonii possidere videatur. Hoc profecto totius vitæ cursu poterit æquus arbiter de hominis felicitate verius ferre sententiam.

Antequam Campania digrediamur, Rattarum gentis Casertæ Comitum, & tam opportuni dominatus exitium ostendamus. Qui primus ex ea Familia Jacobus de Ratta fuit Comes, e Celtiberia, Sanciæ Reginæ, ejusque Aulæ Præfectus advenit. Ab illo ad nos usque series successionis perennavit, quæ morte plurium Comitum, quibus hac ætate decessisse contigit, funditus decidit, nomine illorum penitus abolito.

Aquinorum percenseamus Gentem; ex hac enim Laureti Comitem, & Regni Camerarium vidimus; nec primum illas dignitates assecutum, hereditariæ quippe illi inerant. Ampliori certe titulo digna res erat: quare conspeximus deinde filium Mar-

chionem effectum. Fama erat, Gentem illam plerumque uno inniti filio, & succeſſore; ſed D. Thomæ Aquinatis ejus gentilis ſuffragio numquam defuturam. Sic perpetuo manſuram Domum pro certo habebant, & prædicabant. Sed nos defeciſſe hanc cernimus, tamque ingens patrimonium defectu Aquinorum Principum ad exteram nationem devolutum, extinto Aquinorum nomine. Quid de Caudolarum magnitudine dicemus? quorum Jacobus inter maximos Duces, etiam priſcos, merito numerari poſſet; qui neminem ſibi regnare paſſus, modo adverſarii vires, ne nimis invaleſcerent reprimendo, modo ſui Regis, ne nimis inſoleſcerent, moderando. Hac arte dum vixit, liberum ſe ac formidandum præſtitit. Cumque eſſet lectiſſimo ſtrenuoque milite accinctus, plerique ex Italicis Potentatibus ſtipendia illi domum uſque mittebant, ad hoc tantum, ne in ſe duceret, illoſque intra Regni fines contineret. Vir enim fuit, quem Ducem optimum nemo, ne inimicorum quidem, quin fateretur, exſtitit, cum alias multa convicia illi ingererent. Hunc minime vidiſſe me fateor; deceſſit enim me fere in cunis agente. Cum Caſtelli, quod aggredi ſtatuerat, mœnia ſcrutaretur, qua facilius milites irrumperent, repente exanimis equo delapſus eſt. Hic finis tanti Ducis. Hujus filium Antonium Barii Ducem, Triventique Comitem vidimus: Pater enim titulis honorum abſtinuerat, cum multiplicibus ſe honeſtare potuiſſet, & pro maximo Jacobus Caudola, & ſcribi, & dici præelegerat, tamquam ex ſe, non ex rebus ſuis gloriam adeptus; neque Oppida, & Urbes Jacobum Caudolam magnum reddidiſſe; ſed virtute Caudolam illa ſibi ſubdidiſſe. Filius hic poſt profligatum, exactumque Renatum Andegavenſem, fretus paterno milite, auſus eſt ſuis auſpiciis, ſuiſque peculiaribus ſignis Alphonſo Regi congredi, cui profecto male ceſſit. Nam fugato exercitu ipſe captus eſt, cui Rex clementer ignovit; & licet magnam Dominatus partem abſtulerit, libertatem tamen, Triventique Comitatum tribuit ac reliquit, habuitque in ſuis, ejuſque opera in bellis uſus eſt. Mortuo deinde Alphonſo, ac Ferdinando ineunte Regnum, iterum captum vidimus, cuſtodiaque, in qua aliquandiu fuerat, fuga elapſum. Exul deinde, amicorum ſubſidio, quorum maxima pars ſub patre meruerat, indeque ſua auxerat, victitavit. Talem deceſſiſſe cognovimus. Reſtabant liberi magnæ ſpei editi, egregiæque indolis, quos vinctos detineri vidimus, deinde extorres victum quæritantes, quo melius, honeſtiuſque poſſent. Diverſis tandem in locis periere.

Si

Si qui reſtant, ea paupertate & obſcuritate obruuntur, ut rari eos patrum nomine appellent, aut noſcant, quorum memoria hactenus in adverſis ſubſidium attulerant. Ergo Caudolam nemo eſt, qui audiat: quod nuper nomen montes, valles, campi, militibus Caudolam acclamantibus, reddebant.

Affinis his, & ſanguine, & loco, ipſius Iacobi alumnus Leonellus Cælani Comes, qui terminum poſuit Cælanæ claræ pervetuſtæque dominationi: & quamvis plures reliquerit filios, quos adultos proſpeximus, unumque ex iis etiam Comitem: omnes tamen poſt amiſſas res, diuque extorres vagantes defecerunt; ad idque redactum eſt Cælanorum nomen, ut neque nominis, neque dominationis pars ſuperſit.

Perquirenti mihi Familias omnino defectas, & quarum Principatus ad alienos perveniſſe cognovimus, quædam ſe offerunt, quarum etſi aliquis ſuperſit, Principes tamen illarum exſtincti, oppida, vires, decoraque Domus ab alienis poſſideri noſcuntur. Hæc conditio non ſolum unius, ſed plurium eſt. Admonet me de Caudolis habita mentio, ut de Cantelmorum Principe loquar; ſiquidem Soræ Dux, Oliveti Comes bis rebus ejectus, bisque reductus cum fuerit, tandem non modo extra fortunas proprias, ſed extra Regnum miſera egeſtate deperiit. Natos Ferrarienſium Ducum largitas honeſte nutrivit. Frater viget Comes Populi inter Regni Proceres, quem fratris odium ſalvum fecit. Quippe cum Populum Civitatem Dux ipſe auferre natali prærogativa ſatageret, diverſas illum ſequi partes oportuit, quæ victrices devenere; ſed nihil ad id, quo tendimus. Quid ſalus, ſtatuſque germani, qui & hoſtis ad ipſum Ducem principemque Familiæ, qui cum omni prole miſerum infelicemque ſortitus eſt exitum, ſuaque cuncta diſtracta, & ad exteros translata?

Huic aptiſſime connectimus Capaciæ Comitem, quem, quamvis e Sanſeverina gente plures, & magni extent, Romæ depauperatum amiſſis fortunis, neminemque ex ſua Familia, vel ut rectius loquar, linea, qui nomen referre poſſet, relinquentem, mortuum audivimus, bonaque ejus ab Hiſpanis detineri videmus.

Camponiſcorum Gentis Montorii Comes Principatum obtinebat, cujus dicto Aquila, tam egregia Civitas, non minus Montorio audiens erat, in qua liberum ei erat, quos, vellet exigere, occidereque impune. Cujus potentia, & ad movendas res opportunitas, verendum illum etiam Regibus faciebat. Emicuiſſe diu Camponiſcorum Gentem novimus, Apuliæ in Aprutiorum hodie

Pro-

Provinciæ civitate maxime famam ſervabat, cui finem hæc noſtra dedere tempora. Etenim cum Comiti vi factionis licuerit in cives ſuos quantum libuiſſet, eundemque Regibus ſuis obſervandum reddidiſſet, vitare non potuit, quin fortuna ſuo more ſecum luderet. Vinctum enim, arctiſſimæque cuſtodiæ traditum, deque capite ejus quæſtiones agitari cognovimus; eumdemque fortunæ benignitate evaſiſſe, patriæque reſtitutum vidimus, in qua brevi moritur, nemine ex ſua gente ſuperſtite, adeo ut paterna avitaque oppida non illius nominis dominum habeant; quin & factio illa tamdiu Familiæ dedita, alieni nominis Ducem ſibi eligere coacta ſit.

Proferatur & Barnabas Sanſeverinus Lauriæ Comes, cujus etſi perſtat Familiæ pars perexigua, peculiaris tamen Domus ipſe, & filius ultimi extitere, & Lauria reliquumque patrimonium gentis defectu ad extraneos delata ſunt. Satriani Comitatus, quem & Sanſeverinæ gentis fuiſſe cognovimus, deficiente Familia, aliorum facta eſt poſſeſſio.

Ruſſorum Gentis magnitudo, & antiquitas minime ſe præteriri patitur, cum dominium ſuum ante Reges a nemine ſibi conceſſum, & tantum Deo acceptum deferebant. Mittamus hæc utpote vetuſtiora, patrumque memoriam excedentia, quia quin illuſtris potenſque fuerit, quæ de ea vidimus, denegari non patiuntur. Quippe Cotroni Marchionatu, Catanzarique Comitatu polſebat. Hic unum inſeruiſſe ad multorum intelligentiam non abre fuerit, ut cum Principatum, aut Comitatum, aut aliquem inſignem titulum dico, non merum illum vellem intelligi, ſed oppidorum multitudinem eum comitantium atque ornantium. Et hæc tanta ſucceſſio ad feminam devenit, quæ ſe in matrimonium, Marchionatum, Comitatumque Antonio Cenciliæ Hiſpano, Valentiaque oriundo dedit, qui poſt multas cum fortuna palæſtras, etiam dominatui finem dedit. Ter enim captus, toties aſtu & audacia, unde nemo credebat, evaſit. Semel cum Papiæ detineretur, Arcis ſublimitatem noctu declinavit, illiuſque foſſam amplam, inſuper & aqua plenam tranſmiſit, eademque nocte extra omne ſolum Mediolanenſium Ducis liberum ſe ſtatuit. Captus iterum a Ferdinando Rege, & quia alias auſugerat, arctius in Caſtro novo cuſtodiri mandatur, tanta uſus eſt arte & ſagacitate, ut omnem Præfecti diligentiam, quæ maxima erat, & in illum maxime intendebat, eluſerit. Referato poſtico, quod in litus emittit, faſis vigilibus, per anteriorem partem foſſæ emerſiſſe fere-

ferebatur ; etiam plures dies poſtlcum ſuo patuiſſe arbitrio : quare & Arcem , & Regem hoſti tradere poterat , modo adfuiſſet. Denique cum tertio in eumdem traheretur carcerem , hortanti, bono ut eſſet animo, cum ſæpe ſimilia intraſſet loca, ſemperque incolumis liberque exiſſet, reſpondit : *Nec hoc ſperare , nec amicos expectare velim ulterius , qui vivum e carcere educant* . Eventus verum dixiſſe oſtendit. Ibi enim paucis menſibus fato fungitur. Qui efferri eum viderant , referebant , ad eam deveniſſe deformitatem , præcipue brevitatem ſtaturæ , ut non modo quis , ſed an homo fuerit, haud facile cognoſci poſſet. Et quoniam finem miſerum infelicemque audiſtis , ſcitote, aliquando inter fortunatos, feliceſque habitum, qui nitenti ſamulitio, magnifico belli , paciſque apparatu viguit . Circa ſe nobilium inerat caterva : comitabatur uxorem copia nobilium feminarum , quibus omnibus dapſile conferebat . Nam liberalitas in primis ejus ſpectabatur . Hæc dixi , ut vices , inſtabilitaſque humanæ vitæ etiam in eo noſcerentur , atque ut fere omnibus præponderet actæ vitæ triſtior pars , quam triſtiorem filio hereditariam reliquit . Quippe qui poſt amiſſas fortunas (quod eo puero patri contigerat), & perpetuum in paupertate exulatum , poſtque tot perfunctos labores & pericula , inter navigandum in pyratas Turcas incidit ; quem captum Conſtantinopolim duxerunt , ubi inter Fidei hoſtes extinctus eſt , unàque Familia , & ſpes deinceps dominationis recuperandæ , cui exteri imperare noſcuntur ; nec extare ex illa gente , qui ſe objicere valeat, certum eſt.

Habuit certe Calabria diu potentes , & claras Familias , quarum bonam partem noſtra hac ætate defeciſſe cognovimus . Baptiſtam Caracciolum Comitem , Conſeſſorium noſtrum adeuntem nobili comitatu frequentique , pueri ipſi inſpeximus : habebat enim circa ſe , & milites plures, qui ordines duxerant , & Legisperitos , quos omnes annuo ſtipendio alebat ; nec minus ex aliis nobilibus gentibus familiam elegantem , & ſtudioſam , quique omni in officio illi aderant , & prandenti , & equitanti , ſtratoque mane aſſurgenti apparebant , adeo ut magnificentiæ argumentum non parvum familia ſic culta , moderataque , ad obſequium decuſquè Domini intenta referret. Etiam dictum , quod hactenus inter nos viget, operæ pretium eſt referre . Quoties domum Neapolim deventurum ſe pararet , inhibebat , ne quid victui neceſſarium aut opportunum præmittere , vel ſecum ferre miniſtri auderent. Quibus, id ne faceret , dehortantibus , magni enim conſtaturum in

dies

dies cuncta emere, ubi carius annona venibat, subridens inquit: *Oportet enim, lucriones adveniſſe me gaudeant, & deinceps adventurum incolumem optent.* Sed non ea conditione ad mortem fortuna ire permiſit, cum cancere nares erodente, diu vexatus, & deturpatus vixerit. Nec parum illum torquebat mala fratris filii indoles, qua degenerare a majoribus ſolutis moribus ominababatur. Cumque unicum, & ſucceſſorem ſors illum reliquiſſet, mœrens ſæpe, quod exitium domus, & nominis illum futurum ad hoc ſervatum prævideret. Hac opinione ſucceſſionis fundus eſt vita, fratris filio, de quo tam male opinabatur, Thomaſio relicto, qui non contentus Comitis titulo, Marchionem ſe ſcribi appellarique voluit: quod inſigne non tranſmiſit ad poſteros, quemadmodum Comitatus longa ſerie ad ipſum pervenerat. Brevi enim gravibus ſuſpicionibus inter ſe, & Regem ortis (uter utri occaſionem dederit, Deus, & ipſe noverint) tandem cum diutius odia contineri nequirent, capitur Thomaſius ſive cauſa, ſive prætextu læſæ Majeſtatis, & coactus in vinculis cauſam dicere, capitali crimine damnatur. Vita tamen in carcere illi donata, bona illico per Fiſcum diſtracta, & vendita; ibique conſenuit. Producta canaque prodeuntem barba vidimus, qui ſubrufa intraverat. Quomodo autem inde exiverit, longum & implicitum eſt hiſtoria explicare. Ad deſtinata ſatis eſſe reor, quod etiam poſt libertatem & petitas res, quarum cauſa ſe, ſuaque perdiderat, nihil eorum, quæ amiſerat, recuperavit; quin potius Galli ſua cuncta impetivere, & illum aliena, ut ajunt, quiete vivere permiſerunt. Tali fortuna Romæ moritur. Hic finis & exitus hominum, & rerum tam nobilis claræque Familiæ fuit. Marchionatum, & Comitatum, quos Galli eripuerant, nunc Hiſpani poſſident.

Habuit eadem Calabria & Arenæ Comites, unde & nomen ducebant pervetuſtum, & nobile: ipſi enim magnis affinitatibus vincti diutiſſime, tandem cum tam crebro Procerum conventus haberi videamus, nemo unquam tali e Gente adeſſe cognoſcitur; & quis Arenæ dominetur, ignoramus.

Interſunt & Gentes, quæ etſi non radicitus aruerunt, ſummitatibus tamen ſcapiſque defectæ, humillime jacent. Pulcini Comites ex Alemannorum Familia, nonne hac tempeſtate Pulcinum, reliquumque patrimonium amiſere, & eorum magna pars deperiit? Et qui forte ſuperſunt, fortunarum exiguitate, jam neque ubi degant, quove ſubſtententur, noſcitur.

No-

Novimus etiam, ex nobiliſſimis clarioribuſque Familiis, quamvis Principes earum exſtent, multos tamen titulis inſignes corruiſſe. Nonne Lauriæ titulum poſſeſſionemque Sanſeverina Gens perdidit, eadem & Satriani? Pari conditione & Avellini Comitatus, quem tamdiu a Caracciolis poſſeſſum vidimus, ad alienos tranſlatus cernitur.

Gambateſarum Progenies ne prætereatur, invicta virtus facit. Tres enim noſtra novit ætas, quorum ſinguli Gentilitati ornamento eſſe potuiſſent. Angelum ſcilicet Campobaſſi Comitem, virum frugi & elegantem, adeo comem & affabilem, ut nemo eum noſſet, quin diligeret. Unde major orta eſt commiſeratio, cum depaſci, defodi, deturparique ab edaci lepra cerneretur, reminiſcentibus tam humanos viri mores, formam tam egregiam, vultus munditiam & elegantiam. Eo deformitatis debilitatiſque venerat, ut caris amiciſque ſui aſpectum interdixerit, quos jam nec cernere, nec alloqui potuerat. Conſpici namque tam ſordidum, vulneroſum, aliena manu cibum ſumentem, & potum dedignabatur. His tantis miſeriis, nequaquam priſtinæ felicitatis umbræ paria facere ſe potuerant. Talis deceſſit, relicto Carolo germano Termularum Comite, ſpectato milite, ut qui ex Caudolæ diſciplina probatum in Ducem venerat, experimentumque virtutis non ſolum nobis, ſed omni fere Italiæ dederat; & Nicolao filio poſt obitum Campobaſſi Comite. Et hic quidem impiger, ſagaxque juvenis, ne in paternæ valetudinis miseriam incideret, didiciſſetque id mare maxime arcere, longa parata navi in Chriſti hoſtes perrexit, obviam Turcarum Triremem aggreſſus, poſt anceps cruentumque certamen, poſtque multos e ſuis amiſſos, pluresque ſaucios, tandem cepit. Hoc rudimentum illi armorum fuit. Deinde ad terreſtrem militiam ſe vertit, in qua tantum profecit, quantum ſuæ ætatis alius; quippe & in Celtiberia pro Lotharingiæ, & in Gallia pro Burgundiæ Ducibus eum ſe præſtitit, & virtute, & conſilio, ut etiam geſtis rebus cuivis ea in re claro Duci merito conferri poſſit. Sed quoniam ſæpe non modo inviſa, ſed etiam ſuſpecta, cui præſtatur, virtus eſt, evenit, ut nova cogeretur facere ſtipendia, perofuſque Barbarorum ingratitudinem, ad Venetorum militiam in Italiam reverſus eſt, ubi brevi in hybernis moritur, duobus ſuperſtitibus liberis, qui cum eo exulabant. Tam agitato fortunæ impulſibus non deſuit (ut fama eſt) domus libido, quæ illum moleſtius exerceret; etenim cum uxorem Mantuæ reliquiſſet, ſe-

ſtaturus militiam, reviſenti familiam delatum eſt, eam parum pudice vixiſſe, nec integram viro ſervaſſe fidem: quam necaſſe opinio fuit. Unde ingens odium apud Gallos conflatum, quibus nefas ducitur adulteria multari; ſed adulteram, qui gravius ulciſci velint, ad parentes remittunt, apud quos, demto matronali ornamento, viliſſimis ſervarum ſungitur miniſteriis. Filiorum majorem natu, Angelum Avum nomine referentem, Ferdinandus Rex in patriam reduxit, illique patrimonium omne reſtituit, poſſeditque aliquamdiu. Demum novis Regni motibus filium item exutum fortunis omnibus exulare videmus. Ita numquam Gambateſarum mentio fit, & Ducatus alienæ familiæ inſignia evaſere.

Meminimus etiam exteras Gentes hic maxime creviſſe tum facultatibus, tum honoribus, quarum pleraſque quemadmodum natas, & auctas noſtra novit ætas, ita illarum Principes cum Principatibus occidiſſe perſpexit. Venerat Alphonſi Primi in comitatu Innicus de Guevara Eques Hiſpanus, genere nobilis, nullo tamen inſignis titulo, verum in primis Regi carus. Erat enim, qui maxime honeſtaret Regiam; quippe arma egregie tractabat, equorum ſtudioſus, quos agere moderarique optime callebat; Muſicæ non expers, cantare ſaltareque ad virilem dignitatem ſatis aptus. Hunc Alphonſus præ ceteris alumnis ſpectatum locupletemque reddidit; quippe vix pacato Regno Ariani Comitem, Guaſtique Marchionem declaravit; paulo mox etiam magnum Seneſcallum; & tantum illi favit, ut tres fratres, qui ipſius ſpe & ipſi huc acceſſerant, omnes magnos, interque Regni Proceres Comiteſque elegerit. Et hic, periclitante Ferdinandi ſtatu, magnam dominationis partem amiſerat, quam ille eodem victore recuperavit. Deceſſit brevi poſt proſligatos hoſtes, ſeque bonis reſtitutum. Reliquit liberos duos egregiæ indolis, Comitem ſcilicet Ariani, Guaſti Marchionem, magnumque Seneſcallum, & alterum Comitem Potentiæ. Magnus igitur Seneſcallus cum in Regia, paterna ſectando veſtigia floreret, neſcio quo cacodæmone ſuggerente, de exigendo Rege cum pleriſque Principibus in ſuum publicumque malum, juxta ea, quæ ſequuta ſunt, conſpiravit. Reque illis male ſuccedente, & ſtatu Regis firmato, optanda ſibi morte ereptus eſt, ne exitum, quem complices ſortiti ſunt, & ipſe experiretur. Fortunas omnes, Oppida, Civitates, Fiſcus arripuit diſtraxitque, quarum hodie alieni nominis videmus dominos. Hunc finem Guevaræ familiæ princeps ſibi fortuniſque ſuis dedit.

Ma-

Digitized by Google

Magnificavit idem Alphonſus ex iis, quos ſecum adduxerat, Gartiam Cambanillum, deque Hiſpano Equite Trojæ Comitem fecit, interque Regni Principes illum optavit, Provinciiſque multis præfecit, ductumque militiæ illi contribuit, cujus operam diu probavit. Cum vero Regiis copiis in agro Senenſi præeſſet, & ad ſedandum tumultum, inter agreſtes gregarioſque milites ortum, ex hybernis accurriſſet, occiſus eſt, credentibus Senenſibus, ad inſtigandos animandoſque ſuos prodiiſſe. Et hujus filii (egregium quippe par) revolutione rerum Comitatum, reliquorumque bonorum maximam partem amiſere, hique extorres deceſſere. Ita nemo ex illa Gente Troja potiri cernitur.

Ditavit, magnumque fecit idem Rex alumnum ſibi percarum Gabrielem Curialem, patre Equite Surrentino paupertime natum, quem adeo Regis favor evexit, ut multarum Civitatum, quin etiam & Patriæ ſuæ, circumque adjacentium Oppidorum juriſdictionem illius fecerit; eoque animo extulerat, ut Purpuratorum neminem ſe præire dignaretur. Raptus eſt immature, nimirum maximo Principis dolore, & pœnitentia, quia in illum, quod deſtinaverat, non contuliſſet. In cujus loco Marino germano, nequaquam tantæ ſpei juveni, omne quod fratri elargitus fuerat, contulit. Inſuper & titulos addidit, quos inter Terræ novæ Comitem appellari voluit. Hunc poſt Regis obitum pleraque Oppida deſtituere. Comitatum, quem Ferdinandi bello amiſerat, ejus victoria poſtea recuperavit. Mortuus eſt & ipſe abſque liberis, ſucceſſitque Rex; exſtititque eorum res bullæ ſimilis, quæ eodem momento, quo tumet, evaneſcit.

Habuit noſtra ætas ſimul & Civitas rerum humanarum evidentius ludibrium, Franciſcum Coppulam, qui interſtitiorum brevitate, infimus, ſublimis, fauſtus, & infelix pæne ſimul videri potuerit. Siquidem patre Aloyſio tenuiſſimæ facultatis natus, nobilitatus hic mercatura, licet modica, qua ea tempeſtate uti Nobilitatem decebat, ſe familiamque alebat. Franciſcus ergo cum per ætatem licuit, paternis inſiſtens veſtigiis, lucellis paſſim ſe augere cœpit, inque paucitate illa magni Inſtitoris ingenium oſtendit. In dies hac de eo opinione creſcente, Rex illum, ære præbito, negotiationi ſuæ præfecit, proque ipſius diligentia & induſtria lucri participem eſſe voluit. Hanc adminiſtrationem cum accepiſſet, brevi Regis nomine effecit, ut nihil mercium efferri Regno, invehique potuerit, quin illarum ipſe primus eſſet inſpector, & emendi, vendendi, commutandique primas electiones

haberet. Sæpe reliquos extrahere, ut ipse vilius emeret, curabat inhiberi; item ne importarent, donec ipse suas venderet. Hac igitur arte magnis iis opportunitatibus, nihil præter lucrum spectans, opes non paucas comparavit. Divisaque a Rege mercaturæ societate, dives per se, comparatis onerariis navibus, negotiari nobiliter cœpit, nomenque ingens inter mercimonia exercentes nactus est, & ipsis nautis carus, & patronus haberi. Nemo quippe ea tempestate classem celerius eduxisset, tum navium copia, partim suarum, partim earum, quæ ipsius nomini facile se crederent; tum armamentariis ad rem omnem paratissimis. Quod profecto re ostendit, classe in Turcas Hydruntum retinentes, omnium opinione celerius educta, mirantisque Regis ad obsequium exhibita. Auxerat quemadmodum ipse opes, ita & fastum, & arrogantiam, in sui usque oblivionem, Principumque despectum: quod profecto illum perdidit. Quippe cum Regem non callidum & versutum, ut erat, sed tardum & hebetem existimaret, se, & Regis literarum Magistrum in ruinam protraxit. Calabriæ igitur Duce foris res agente; veritus ne cum rediret, quietasque res offenderet, liberum illi esset, illum, & plerosque alios ulcisci, quibus interminari causabatur: cœpit exinde, aut comitem, aut ducem principibus turbandarum rerum se exhibere; quod agitare non desiterunt, quoad se perdidere, & reliquum Regnum perpetuo malo obtulerunt. Hinc profecto, quæ passi sumus, quæve patienda timemus, initium sumsere. Revertamur ad Franciscum, illaque quemadmodum gesta sunt, & quorum culpa, aliis enarranda sinamus. Talia igitur meditans curavit etiam, ut suo filio mulier Regis affinis matrimonio jungeretur: quod Regem fallere credebat; quam spem dissimulando Rex subinde alebat. Interim, ut postea rescitum est, non cessabat & Dux Regis filius, ceterique amici hortari Regem, ne Sarni Comitem, Antonellumque Secretarium capere moraretur, certioremque facere, secreta nocturnaque conventicula cum Principibus in ejus fortunam, iisque præcipue auctoribus fieri: quæ sibi, etsi longius distarent, clarissime tamen liquere; & ea esse, quæ agitarentur, quibus ni propere occursum esset, vanam deinceps omnem fore diligentiam. Quod Rex, ut erat natura & allu cunctator, distulit, ut cautius opportuniusque perficeret. Interim multa intercessere utrinque suspiciones augentia, quæ quoniam a me certa fide referri nequeunt, cum publica non extiterint, & indagasse præsentis non est instituti, aliis perscrutanda

Digitized by Google

da reliqui; non enim viri vitam ſcribimus, ſed in eo inſtabilitatem rerum oſtentare tentamus. Igitur præſtatuta ſponſaliorum filii die, illaque cum in Arce Regis in conſpectu celebraturus eſſet, & domum magnifice ornaſſet, ſeque adeo delicioſe comſiſſet, ut etiam mulam pretioſis unguentis imbueret, & odoramentis ſufiret (hinc luxuria reliqui apparatus conjici poteſt), apparente demum Rege, magna ſtipato Procerum caterva, quem Principum feminarum, ingenſque aliarum mulierum excepere conventus, tanta alacritate ex gaudii expectatione, tantoque in Aula ſplendore, veſtium & auri fulgore: ecce qui illum, & Secretarium, tamquam arduum quid cum eis acturi, evocaverunt, paulumque ab Aula remoti, offenderunt Arcis Præfectum, qui eos ad carcerem occulte duxit. Ubi aliquamdiu duris in quæſtionibus habitus, tandem Majeſtatis reus præter Arcem eductus, ibique ſecuri percuſſus eſt. Bona diſtracta; ſpectavimus enim plures rhedas e Sarno onuſtas in Arcem deferri. Nobiliorem vero ſupellectilem e domo rapi, profecto gazam Regiam referentem. Omnium ſuorum heres exſtitit Fiſcus. Filii, qui hodie exſtant, nil paterni cenſus poſſident.

Et virorum infelix ſocietas, & ſimilitudo incrementi, exituſque paritas merito poſtulant, ut Franciſco Coppulæ Antonellum Petrucium a ſecretis ſubnectam. Hic, ut plerique autumant, Theani natus eſt; nutriri autem Averſæ multi illorum ſpectarunt. Sunt qui patrem Petrucium vocatum velint, matrem Petruciam fuiſſe dicant: unde nomen Petrucii ſumſerit ab alterutro parente. Conſtat tamen, humillimæ fuiſſe conditionis, & fortunæ hortulani. Siquidem memini ego, florente eo, in ejus laudem oſtendi tugurioluni culmeum, dicente vulgo: *Hinc prodiit, qui modo tam egregias ædes tot in Civitatibus poſſidet, munitionibusque validis ſua oppida confirmat.* Cumque a primis annis majorem ſe natalibus futurum oſtenderet, ſemique nudulus vagaretur, incidit in Johannem Admiratum Tabellionem, ſenem, meo quidem judicio, virum optimum; novi enim eum annoſum, valde fide & Religione ſpectatum, memoria & intellectu ſupra ætatem vigentem. Adoleverat enim in Ladislai Regis Aula, cujus geſta memoriter enarrantem avidiſſime audivimus. Hæc mihi de Notario Johanne nunc ſatis, cujus memoria virum bonum repræſentat, & ſimilium raritas illum me memorare & laudare hortatur. Hic cum acceptum a parente puerum in dies ingenii acumine progredi animadverteret, cœpit majorem illi adhibere curam, & pro

æta-

ætate literis & moribus diligentius erudire, ac tanto impensiori affectu, quanto jam ætate gravis, sine liberis se spectabat, illum liberali caritate alebat. Cum ergo animadverteret Antonelli sagax ingenium, & ad obsequendum promtitudinem cum ætate adolescere, & majora, quam quæ a se tribui possent, spectare: statuit bonus ille vir, ne tam egregiæ indolis species secum augmenti damnum faceret, posthabita commoditate & blanditiis, quæ puer illi præstabat, ad majora illum admovere. Erat enim Johanni Olzinæ, Alphonsi Regis Secretario, maxime familiaris; fuerat namque proximo bello illius hospes. Ex quo visum est Antonello bene consuluisse, si narratis adolescentis dotibus commendatum illi traderet; a quo & adolescentis aspectu, & commendantis fide, benigne susceptus est. Aderat tunc contubernio Olzinæ Laurentius Valla, doctrinæ ingentis morumque honestate spectandus. Huic informandum literis & moribus herus tradidit, ut aptiorem Scribarum collegio adoptaret. Videbat enim sagacissimus senex, excellentem in illo officii genere deventurum. Brevi ergo Laurentii doctrina tantum profecit, ut merito ad Scribarum munia assumi potuerit: quare perpetuo gratissimus Laurentio Vallæ extitit, venerarique ut parentem, illique plurimum debere non erubuit. Imo cum tam magnus apud Ferdinandum Regem devenisset, semper honori emolumentoque fuit. Quin & post illius mortem ejus scriptorum & defensor, & laudator promtissimus perstitit. Iis præsagiis adscitus, brevi qui longe ante munus illud exercuerant, antevertit. Ipse Olzina, cum Rex foris ageret, aut occasione aliqua coram adesse, negotiaque per se tractare non posset, plerumque Antonellum ad id destinabat; qui diligentia & fide utrisque satisfacere noscebatur. Gessit se ita eo in officio, ut ipse Rex mandatorum, quem dicunt, Secretarium elegerit. Est enim illorum exequi mandata Regis, conficiendo ex iis Privilegia, eaque propria manu subscribere, uti majoribus a secretis mos erat, a quibus primum locum obtinent, aditumque liberiorem ad Principem habent. Creditur enim, si diutius Rex ille vixisset, inter hujusmodi ministerii primos (pluribus enim, non singulis, tali officio utebatur) adlectus noscetur. Ferdinandus etenim post patris obitum, cum statuisset uni tantum res suas credere, hunc potissimum elegit, qui & aurium, & oris ejus fungeretur vicibus. Cumque gravaretur per se aliquem audire, ad Secretarium ire jubebat, perque illum otiosus postulata intelligere velle, per eundem, quid suæ mentis esset, consul-

Digitized by Google

ſultius reſponſurum. Sic igitur ſingularitate officii, ſuaque humanitate & modeſtia (quæ profecto magna exſtitit, adeo ut ſæpe, quibus non tempeſtive, ut malebant, ingrateque reſponderet, ſibi convitiarentur, filiiſque imprecarentur, non niſi ſedate placideque accipere videbatur) eas comparavit opes, & nomen, quibus e duobus filiis Comitem Caleni alterum, alterum Policaſtri effecerit; ex reliquis alium Tarentinum Præſulem, Prioremque alium Hieroſolymitanæ Religionis Capuani Conventus; affinitate vero nobiliſſimarum Familiarum plures liberos junxerit. Magnum & fortunæ, & Principum auditis afflatum, & favorem magnum profecto, & qualem non multis impendere ſoliti ſint. Sed quæſo ad exitum omnia noſſe velis, antequam de ejus vita, qualis fuerit, exiſtimare diſponas; quam ſi æquilibrio appenderis, prægravare malorum lancem facile offendes. Pueritiam egit inopem & laborioſam, ut victum ſibi parare ſervitio neceſſe fuerit, parentibus tanta egeſtate preſſis, ut etiam ſuo labore & mercede ſubvenire boni ingenii puero grave fuiſſe par eſt credere. Sed omittamus hæc, & pleraque adoleſcentiæ, utpote frivola, & quæ niſi ad eam fortunam devenifſet, penitus ignorarentur, & nos uti infecta relinquamus. Non enim gratis conſtitit Principis gratia. Quippe adeo eum excruciavit, ut quieti nullum indulgeret tempus, quin etiam nocte ſæpe cum domum ex Arce rediret, vix appulſum, viatores feſtini aderant, qui ad Regem quam celerrime redire jubebant: quod facere interrupta cœna, & ſæpiſſime ſomno licet ingratiis, cogebatur. Et hic ludus pæne quotidianus erat. Cum forte Rex venatum, aut aucupatum prodiret, eumtem ad Principem ſæviſſimis tempeſtatibus, & imbribus, ferventiſſimo ſole, nocte interdiuque, cum reliqui in manſionibus ſub tecto degerent, ipſum ob publica Regis negotia ad conſultandum, quos Neapoli Rex parcens eorum labori reliquerat, & nive, aut pulvere, aut cœno, prout tempeſtas ferebat, obtectum tranſire vidimus, cum in Conſeſſorio eſſemus; ſimiliter ad Regem revertentem, nullo habito neque tempeſtatis, neque lucis reſpectu. Maceraverat, & attriverat eum laboris nimietas, & ſomni parcitas, alienaque hora ſumti cibi, ut ætate maturius edentulus fieret, ſolidique nil mandere potuerit, & vitam ſorbitionibus producere curaret; quibus etiam vix tempus dabatur: tanta erat negotiorum ingruens multitudo. Et ſi forte aliquando domum quieturus ſubhilaris revertiſſet, aderat uxor, quæ eum impune exercebat; imputabat enim fortunam, ac ſi ſuo ex matrimonio magnum ſibi in-

fortu-

fortunium contigiſſet. Obiectabat inſuper natalium humilitatem; & cum cetera deeſſent, immittebat in eum filios, quærentes, decere ſe liberaliorem victum, famulitiumque magnorum inſtar, veſteque pretioſiori uti, ita ut fruſtratus requie, quam domi ſperaverat, feſtinantior triſtiorque exire præeligeret. Filiorum etiam infanam ſpectabat audaciam, ſe domumque perditurum. Erant enim parentis moribus adverſi, pro illius humanitate, arrogantia, proque affabilitate, importuna ſuperbia utebantur; quæ etſi quiete taciteque ferre videbatur, ingenti tamen dolore & amaritudine apud amicos reponebat. Adeo proceſſerat illorum fatuitas, ut Principem in odium patris provocare nihil exiſtimarent. Studebat enim illorum unus Regis ſecretos amores, occultaſque voluptates rimari, vanaque loquacitate inter ſodales effundere. Quæ cum pater Regi notiſſima eſſe ſciret, minimeque illum de eis aliquando ſecum expoſtulaſſe cerneret, ingenti timore augebatur. Callebat enim, Principem ſuum & diſſimulandi injurias, & æque ad tempus ulciſcendi peritiſſimum artificem. Quid? quod ſemper veritus, ne Princeps illum pecunioſum crederet, crebro ſtrenarum ad inſtar præter Januarias Kaſendas magnis illum muneribus donabat; modo, ut oſtenderet pecuniam non ſervare, multa a Principe præſtolari contra animi ſui ſententiam fingebat. Itaque ſic ſua, & ſe donis & muneribus redimere videbatur, ad quod amicos, affineſque hortabatur, tamquam ad officium Regi gratiſſimum. Nonne ad infamiam, qua mox damnatus eſt, timoris vim eum pertraxiſſe credendum eſt: ut in Regem ſciliceet conſpiraret. Non enim fallebat eum, præſenti ſtatu nullum fore ſibi, domuique ſuæ opportuniorem, modo ſe perpetuum ſperaſſet. Modus autem, quo peſſum ierit, cum mihi ignotus exſtiterit, vitans mendacii diſcrimen, omiſi, contentus vulgari teſtimonio, & quæ populus novit. Ductus eſt in carcerem una cum Franciſco Coppula, quemadmodum de illo diximus, eoque die e filiis duo, quos Comites fieri curaverat, cœciori carceri traduntur, domuſque omnis direpta, & pro Fiſco detenta. Uxor cum ad ſponſalia, & magnifice comta, in Arcem veniſſet, exire inde vetita, in cubiculo clauſa, aditu & colloquio omnibus interdicto. Pueri dominorum reditum præſtolantes, mulis & equis deturbati: illoſque raptim ad equile Regium tractos, ſunt qui ſe vidiſſe referant. Ipſe demum ſævis diriſque tortus eſt modis. Interea non deerant, qui ubinam pecuniam recondiſſet, interrogarent; & quod tanta cura, & arte ſimul, & diſpendio ſemper cura-

curaverat, ſcilicet ne pecunioſus haberetur, cui maxime voluiſſet, minime perſuadere potuit. Adjice ad hoc, quod corporis patiebatur tormentum non levius. Fillos, quos vinctos diximus, ſupinos tabulis impoſitos, jumentis per celeberrima urbis loca, uſque ad mercatum ipſo nundinarum die tractos, ut nobilius eſſet facinus, ad decoliandum, omnis populus vidit; ubi truncati, quatrifariam diſtracti, ſtipitibuſque affixi, propter Regias vias ad ſpectandum ſurſum ſublati ſunt. Quod eum minime celarunt, qui illum non ſatis torſiſſe credebant, ni etiam hoc addidiſſent. In eum tormentorum deveniſſe pavorem ferebatur, ut cum aperiri carcerem præſentiret, & qua fugere minime poterat, ſatagebat externatus, & ſi forte in cavum aut rimulam ibi ſe immittere poſſe, & occultare ſperabat. Hæc finiit, quando una cum Coppula Sarni Comite eductus, atque ſpectante populo, præ foribus Arcis ambo ſecuri percuſſi ſunt. Filiorum qui ſuperſunt, alii Præſulatus honeſtantur dignitate, alii privatim degunt, & tantæ paternæ rei penitus extorres.

Subiit etiam, ut Hugonis Alanii, Marinique germanorum ſactum recenſeam, priorum haud ſimile. Siquidem privatos non adeo divites ſpectavimus; mox a primo Alphonſo Rege inter Comites, magnoſque cooptatos. Nam alterum Regni Cancellarium, Burrellique Comitem; Buchianici alterum effecit. Et hos ante dignitatibus, quam vita perfunctos vidimus. Qua in re præcipue humanarum rerum inconſtantiam perſpicere poſſumus, ut quibus primum datum ſit tribulium ſuorum ſecularis dignitatis titulis inſigniri, negatum etiam ſit in morte illis uſque prodeſſe. Quod ſi antea quæ nuper eveniſſent, ſuperfluum & importunum fuerat enarrare, & inconſtantiam varietatemque rerum, & humanæ prudentiæ imbecillitatem, tot ſingulorum infelicibus eventibus demonſtraſſe: erit en ſatis hoc unum ad oſtendendum, quæ omnifariam ſtare videntur, momento poſſe ſubverti. Quid illud fuerit, breviuſque factum ſit, rupto naturali ordine, ut decet, dicam.

Ruiſſe Venetorum Rempublicam, Regnum, ipſoſque de capite, & de libertate laborare (a). Qui vero quanti fuerint, habitive

(a) *Hæc ſcripta, quo tempore omnium graviſſima procella invictam Venetorum Rempublicam concuſſit. Verum ii non multo poſt incredibili fortitudine, felicitate, & gloria ſua quæque recepere.*

hactenus ſint, Orbis non modo Chriſtiani, ſed ne Univerſi quidem angulum reor, in quem non clarum Venetorum nomen pervenerit: Hiſtoria inſuper teſte de illorum geſtis, quam tot diſerti doctique viri ſcripſerunt, qui eos & prudentiæ, & virium ad miraculum uſque extulerunt, ad quam noſſe illa cupientes remitto. Tamen & liquidiora mihi, quæ mea ætate geſſere, ut præfatus ſum, fideliter referam, ut ſimul quemadmodum decreverint, & quam cito, noſcatur. Idcirco quæ cum Philippo Mediolanenſium Duce geſſerunt, tentemus, quod ſemper ſuperiores fuerint, multaque Caſtella, Civitateſque illi ademerunt; propugnaverunt ſuos fines, & imperium auxerunt. Compararunt exercitum omnium maximum, quo majorem multis antea ſeculis Italia non vidit, habueruntque ſub Franciſco Carmagnola eorum Duce; & tandem ad id cum Philippo res devenit, ut prope mœnia exercitum tranſmitterent adeo propius, ut bombus tormentorum ad ipſum etiam Ducem, clangorque tubarum pervenerit, quo, ut ajunt, dolore percitus, brevi mortem obivit: cujus poſt obitum pleraque, quæ illius fuerant, ſibi vendicarunt. Cumque Mediolanenſe Populo, in libertatem ſe aſſerere ſatagente, bellum ſumſere, in quo, etſi Franciſcum Sfortiam illorum Ducem (a) profligatum, cladeque ingenti affectum eorum exercitum audivimus, illico tamen ſe ea prudentia, & viribus probavere, Franciſco Sfortia ſibi juncto, & validiori comparato exercitu, ut victori hoſti minime ceſſerint, quin potius eum repreſſerint, & brevi ſuperiores emerſerint. Eadem tempeſtate etiam cum Alphonſo Primo Rege noſtro non ſemel geſſere bellum, cujus aliquando claſſem per diverſa maria ſequuti, tandem in Siracuſano portu inventam, nequidquam tutantibus oppidanis, & opibatis, ſuccenderunt, & naves illas maximas ad terrorem navigantium ædificatas delevere. Nihilominus pacem æquioribus ſibi conditionibus effecere. Adverſus Franciſcum Mediolanenſium, & Renatum Andegavenſium Duces, una ſecum pugnantes, adeo fortiter reſtitere, ut brevi diſſoluta Ducum ſocietate, pacem Franciſco, & ipſis glorioſam, nec minus utilem dedere, inſcio, ne dicam invito Alphonſo eorum Collega, ut per ſe ſatis poſſe oſtenderent. Cum Ferdinando etiam Rege poſt patris obitum non ſem-

per

(a) *Hæc contra veram Hiſtoriam. Proinde conſulendi graviores Hiſtorici.*

Digitized by Google

per pacem habuere; ſed interfuere bella, in quorum compoſitione nil ſe minores conditionibus voluere. Et eadem tempeſtate Cyprum Inſulam Rege vacantem, & cui multi anxie inhiabant, neminem veriti occuparunt. Deinceps cum in Herculem Ferrariæ Ducem arma moverent, timens reliqua Italia, ne etiam Ducatum illum ſibi adſciſcerent, communi conſenſu ſuppetias Herculi, privatis quiſque ſumtibus miſere, & quidem validas. Etenim Ferdinandus Calabriæ Ducem Alphonſum filium ingenti manu propere ire juſſit; quin & Ludovicus Mediolanenſis imperii moderator cum omni militum robore præſto adfuit. Pontifex Sixtus Legato Eccleſiæ cum illius milite, ut ſe reliquis jungeret, imperavit; & tantis copiis, totque Principibus, Urbinatem Federicum, ea tempeſtate Ducum maximum, præſuiſſe cognovimus. Vidimus nihilominus Venetos ſuis tantum viribus & copiis innixos, tot hoſtibus, tam validis, ſummiſque potentiis nihil ceſſiſſe; quin potius Ferrarienſi nonnulla abſtuliſſe, & hoſtem omnem æſtivo tempore eo modo tractaſſe, ut ante hybernorum opportunitatem dederint potius, quam acceperint conditiones: re ipſa teſte; ſiquidem quæ vi abſtulerunt, deinceps quiete ut propria poſſidere licuit.

Penetraſſe Carolum Francorum Regem ad nos uſque, cum ad deturbandos Regno Aragonios iret, aucupatoris in morem, pugno accipitrem geſtantis, cognovimus, quia minime ſibi obſtituros Venetos cognoverat. Ne quidquam ſimiliter in reditu; poſtquam enim magnitudine ſucceſſus dolentes fœdera cum pleriſque pepigerunt, ut Gallorum cum Rege vires in Italia attererent, ad quod præcavendum Rex, priuſquam Collegarum copiæ convenirent, in Gallias præmaturabat iter: quod intercedere adverſariorum copiæ cum tentaſſent, adeo ſtrenue rem eorum navavere, ut ſi ſimilis reliquorum adfuiſſet virtus, facile eo in prœlio Rex, aut capi, aut turpiter fugari potuiſſet. Nec minori tamen conſtantia ad fines uſque illius perſequentes, Mediolanenſi & bello eo, & ſecuta pace emolumento fuere. Eodem animo cum Ferdinando juniori Regi adfuiſſent, Oppidorum, quæ Galli de Regno Apuliæ vendicaverant, ipſi armis ſibi aliquot vendicavere, utque jure parta, neutri Regum reſtituere voluerunt, etiam tenentibus illis Regnum reliquum, & ſæpe amicis & conſœderatis. Nonne altero ab hoc calamitatis eorum anno, fervente omni Italia, ingenti apparatu Imperatoris partim formidantibus, partim ad res novas ſe erigentibus, intrepidi ſoli illi occurrere non ſunt veriti

& ea prudentia, & robore, ut non modo Germanos, finibus suis illæsis, arcuerint; sed & illorum ingenti clade illata vastaverint, & insuper oppida regionis non infima ademerint; & ulterius, ne se proferrent, pacis potior conditio effecit. Quæ etiam vi ceperant, detinere permissum, proventusque reditusque illorum ad se jure devenire; denique non prius restitui debere, quam omne æs in id bellum erogatum, solidum restituereturque, nulla perceptorum fructuum habita ratione. Quam quidem pacem, inscio, ut aliqui, ut alii vero, invito Rege Francorum eorum collega, firmasse volunt, eamque inter dissidii causas, calamitatisque Venetorum adscribunt. Nam renuntiantibus id eorum Legatis vultuose Gallum respondisse fertur: *fuisse tunc Venetorum, pacem talem annuntiare; etiam quandoque suum, bellum indicere.* Ultimo vero cum in se tot potentes, clarosque Principes, Pontificem Maximum, & Francorum, Aragonumque Reges conspirasse cognovissent, minime animos submisere, sed constanti virtute vires, quibus illis se objicere possent, munitionesque Civitatum, Oppidorumque providere non destiterunt; & adeo ingentem equitum, peditumque paravere manum, ut hostium ingentibus copiis obsistere sperarent, Civitatesque & Oppida, adversa jubente fortuna, obsidiones diuturnas comparatis munitionibus perferre possent. Quod unum perpetuo mea memoria eos attriverit, infirmioresque reddiderit, est juge bellum, quod cum Turca diu infeliciter gessere. Quippe illos Dalmatia, Illyricoque penitus exegit. Quod si verum pervestigare voluerimus, solidius Venetorum robur illic Turca succidit. Quippe omnis nauticæ rei facultatem, quæ magnos illos potentesque effecerat, Provinciæ illæ suggerebant. Unde enim materiam, picem, ferrum, omnemque denique ad Navium fabricam apparatum? Unde porro, & remiges, & epybatas ad quantamvis classem extruendam, atque conducendam, commodius quam ex ipsis Provinciis, quæ non tantum ad classes ingentes parandas; sed portus tutissimos adversus tempestates opportune detinendas præstare valerent? Audisse aliquando memini de eorum primariis, si quis pressius Venetorum Rempublicam taxare vellet, facile reperiret, potentiorem ditioremque, & minori invidia laborantem tunc extitisse, quam cum tot amplis Civitatibus in continenti Italiæ dominaretur, & rei nauticæ tantam commoditatem amisisset. Quippe quod vires illorum ibi infractæ sunt, magnitudini hostium adscribi potest. Quod vero non semel provenerint, passimque ceperint, &

tam-

Digitized by Google

tamdiu ſe continuerint, conſtantiæ & virtuti eorum merito dari debet. Itaque ex Turcarum bello multum damni, ignominiæ nihil reportarunt.

Dixeram, eorum Regnum omnium opinione corruiſſe celerius. Quippe Nonis Julii Francorum Rex hoſtium validiſſimus in eos ut potentius, ita celerius ſe accinxit, et Mediolani luſtrato exercitu VII. Idus Venetorum exercitum in agro Caravagenſi aſſecutus eſt, cumque eorum parte manus conſeruit, quæ ad detinendum eum reſiterat, donec reliqui ad tutiorem locum perveniſſent; & quamvis ſtrenue milites rem navaſſent, pedites præcipue fugati profligatique ſunt. Equitum pars, pedites vero univerſi fere interemti; hoc enim liquido conſtat. Quæ autem plerique conjectari volunt, ſi omnis concertaſſet exercitus, ſecus eveniſſet, aliorum ſit judicium. Nos autem, quæ facta ſunt, non quæ evenire potuiſſent, cum incertum ſit, ſcribimus. Scire enim maxime cuperem, quando eorum Rempublicam virtute natam & auctam, prudentiaque diu ſervatam oſtenderimus, & nunc nec vires defectas, quin potius erectas, Senatum & prudentia, & numero creviſſe cernamus, tam parvo pugnæ accepto detrimento, nec quiverint conſulere & providere, ne ferperet, & in tantum eorum malum perveniret. Hoc caſu, ſive fortuna minime acciditſſe credendum eſt. Prævifum enim, & antea ſibi indictum ſubſtinebant bellum. Oppoſuerant omni vi venturis ſe hoſtibus; conſuluerant etiam caſuræ fortaſſe rei tum milite, tum machinarum, tormentorumque apparatu; frumentariam rem opportunis locis comparaverant; foſſis, turribus, reliquiſque munitionibus Civitates, Arceſque tutandas curaverant; ſtipendium innumerum plurifariam diſpertierant, ut opportune, non modo ad ſuos continendos, verum adverſariorum militem alliciendum, eo uti valerent; Legatos, quos ipſi Proviſores exercitus appellant, Senatus, qui frequentiſſimus quotidie cogebatur, ſolito plures, prudentioreſque eo bello elegerat, & in ſuam quemque Provinciam ire juſſerat. Fortunæ quippe, & caſus incurſus tali modo proviſos impetere non audent: ſed ne fari vis, ſi plurimorum, & Philoſophorum definitionibus crediderimus, eos atterere tam brevi potuiſſet; cum alii neceſſitatem indeclinabilem, non repentinam, eſſe velint; alii rerum perpetuam ſeriem ſemper ſe connectentium. Sunt qui Aſtrorum in ſuis locis progreſſum fati vim aſſerant; & non deſunt, qui aliter interpretentur: quæ recenſere perlongum eſſet, & facile refellere. Ergo hæc utpote ad rem

non

non ſpectantia ſinamus. Rectius tamen appellemus ordinem a Deo proviſum, & perpetuo conſtantem, & omnia ſuo loco, & tempore producentem, univerſitati apta, & ſuæ diſpoſitioni congruentia, licet noſtri intellectus paucitati abſtruſa & incognita; & quibuſvis ſat ſit credere, cuncta juſte, ſanctèque, præter vitium & ſcelus, providentia & Dei judicio evenire. Hoc ergo fato credere poſſumus, tam inexpectatam Venetis cladem infligtam; cauſam vero ſolus, qui omnia poteſt, & cui præter juſtum nihil placet, novit. Ex his hoc eliciamus, ut numquam timere Deum deſiſtamus; tum quæ immineant, quidve de nobis ſtatuerit, nulla ratione aut argumento prænoſcere poſſumus. Hic ferme eſt timor, qui intrepide futura expectare ſinit, & æternæ vitæ præſtolationem, vitiorum fuga, ſpondet. Bene eum profecto timebimus, non aniliter expaveſcendo tonitrua, aut ſomniorum terriculamenta formidando, ſed illius potius obſequendo mandatis, & ſanctorum virorum juxta monita vitam vivendo. Erit profecto documento ſanis mentibus tanta tamque præceps Venetorum dominationis ruina, ut viribus aut conſilio minime fidant; ſed eum præ oculis habeant, ab eoque ſe augeri auctoſque ſervari, efficacius bonis operibus, & vitæ ſanctitate, quam verbis & precibus poſtulabunt.

Cum multorum, quos videramus, ad noſtram reprimendam inſolentiam, æſtüantemque habendi ſitim diluendam, eventus rerum infelices, exitus miſerandos, non modo ſingulorum, ſed etiam numeroſæ Gentis, inſtabilitatem rerum, variantèſque fortunæ vices noſtræ tempeſtatis oſtenderimus, ad monimentum ſuperbientium animorum, vanis, caduciſque fidentium; operæ pretium duximus, ut qui felices, & rebus & honoribus abundantes, infauſtis a nobis eventibus enarratis ſubtriſtes, meticuloſos, & ſibi forte paria timentes effecerimus, etiam ad erigendos dejectos miſerorum animos ad ſpem potiora & feliciora aſſequendi, ejusdem mobilis, inconſtantiſque viciſſitudinis documento ſurrigamus. Exſtant profecto non pauciores, quos ex infimis altos fortunatoſque cernimus, iis opponendos, quos e ſummo ad infima demiſſos oſtendimus. Nemo igitur miretur, ſi priorum ediderimus nomina, horum autem ſubticemus. Credo enim ratione factum, ne in odium incurramus, tamquam invidi, & alieni boni detractores. Scimus enim, graviter moleſteque laturos pleroſque, cum dignitatum, aut natalium novitate taxatos ſe ſenſerint. Etenim non pauci inter tales ſpectantur, quos prius beatos, quam notos

oſten-

oſtendiſſe oportuerit; plures etiam velut olera, quorum nec ſemen, nec fomentum naſcebatur, in altitudinem inſperato creviſſe cernuntur; & tamen haberi velint, ut qui fortunas, & honores, & magna nomina, vigilantia atque induſtria, & ut uno complectar verbo, virtute ſibi paraverint, tanta animi pervicacia, ut ne Principibus quidem iis, qui in eos, & fortitan immerentes, tanta contulerant, acceptum referre, aut gratias ſaltem habere velint: quorum non ſolum, ut prædiximus, nomina celare voluimus, ſed ne notis quidem, quibus dignoſci poſſint, ſuggillare intendimus. Vidit profecto noſtra juventus, videtque præſens dies privatæ conditionis homines, quorum hactenus nec fui, nec ſuorum fuerat notio, inter ſuæ ſortis homines plurimum eminere, & Magiſtratus gerere; & ſi altiore in gradu cernimus, humillimo tamen ſtetiſſe cognovimus. Spectamus inſuper, quos etſi vetuſta Nobilitatis ſeries ediderit, nullo majorum ſtegmate, aut ſuo aliquo facinore cenſeri poſſe, nihilominus ad ſummos honores, potentiæque gradus deveniſſe; nec pauciores, qui ampla dictoraque Sacerdotia poſſident, quam qui Magiſtratibus, Comitatibus, & Ducum titulis ſpectabiles procedunt: quorum præ multitudine, jam titulorum inſignia viluerunt. Quippe jam Comitatus multi dedigantur, altiora petentes nomina. Et quoniam animi propoſitum eſt, omnibus cujusvis fortunæ hominibus bonam ſpem facere, ſpectent, qui mercimonio ſe augere contendunt, tot ditatos ſpectatoſque viros, quos menſis numerariis, veſtiumque tabernis alienis inſerviſſe noverint, & viliſſimarum rerum ſordidarumque miniſteria exercuiſſe; quibus invidiſſe, & ſimiles eſſe multi velint. Quid multa? Cum nec hominum ſtatum, nec fortunam, nec artem cernere eſt, in quibus ex minimis maximos deveniſſe, pleroſque nullo probabili merito ſpectamus. Eadem itaque ratione, qua fortunatos nimium fidere, & minime inſoleſcere vellemus, cupimus miſeros & abjectos ſpem præſumere e tanta multitudine, quæ adeo ditem, beatamque ſe undique offert, quorum bona pars otio, maliſque artibus, Principumque inſania ad id devenere; ſed nolim præterea inerti & otioſæ expectationi ſe committerent, aut iniquis, turpibuſque negotiis invigilent; ſed magis juſta honeſtaque ſectari, & ſtrenue laborare, ut ſaltem ſi ſpem eventus fruſtratus fuerit, noſcatur ſibi ipſis non defuiſſe, imo quod ſuum fuerat, tempus ſcilicet, & ſtudium laborioſiſſime impendiſſe. Hæc admoniſſe ſatis ſuperque; & quando tanta ſit hujuſmodi novis fortunis, & nominibus aucta frequentia,

aut

aut etiam conniventibus oculis ſe objiciant, utinam, quemadmodum optamus, miſeris ſpem præbeant, animoſque faciant, & non potius invidiæ & maledicentiæ occaſionem dent. Volumus namque non ſolum bene ſperare, ſed quæ ſperaverunt, feliciter aſſequi. Quare monemus, ſi quando, quod concupierant, conſequuti fuerint, & forte, quod ſæpe contingere ſolet, ampliora, quam quæ mente præſumſerant, meminiſſe velint priſtinæ conditionis & fortunæ, nec obliviſci cautionem timoris, quod fortunatorum frenum eſſe debet; & gratos eſſe, acceptorumque debitores ſe cognoſcere; ſciantque, Deum habuiſſe auctorem, cui ut & conſtruendi, ita & demoliendi eadem eſt vis; & quæ ab homine receperint, etiam grate recordari velint. Eſt enim ingratitudo malum publicæ utilitati officiens, & præcipue indigentium.

DE

Digitized by Google

D E

INQUISITIONE.

EPISTOLA

TRISTANI CARACCIOLI.

CONstanter quotidie per literas efflagitas, quod coram sæpe petieras, ut si quid insoliti apud nos eveniret, certiorem te facere non gravarer; & potissimum si qua aliquando non solita, nec usitata, & quæ scribi non ab re fuisset, evenirent. Nihilominus meam servans sententiam tamquam judicio electam, id facere supersedi. Nosti enim jampridem me incuriosum, & talium adversissimum. Credo enim nuntiorum indagatores plerumque falli, & sic non vera aliis tradere, geminoque errori se objicere. Itaque cum nostræ conditionis mentiri non sit, & verum difficile inventu, ab hujusmodi vitiis me asserere, minime perquirendo, plurimumque tacendo, pulchrum existimabam. Quod autem nunc secus, ad te scribendo, facere videor: non profecto inconstantia, aut propositi pœnitentia factum est; sed ut conceptam ex re curam, quando verbis coram non datur, literis tamen apud te si non omnem, saltem partem deponerem; simul ut prudentem cautioremque iis per me cognitis te reddam, ut evitares, quæ futura præsagiuntur, si datum est; sin secus, æquiore animo, ut prævisa acciperes.

Tenere te scio, Regem nostrum vivente Elisabella ejus uxore decrevisse, omnem Hispaniam, quod est ad ea, quæ puritatem

ſinceritatemque Chriſtianæ fidei fœdare poſſunt, eluere, & mundam reddere. Quod cum minime ſe perfecturos ſperarent, ni prius Neophitos, qui veteſtos Chriſtianos inter viventes, ſe prius, Judaicos ſectando mores, deinde & illos e ſanctis dogmatibus educebant, caſtigatos a Regno abigerent. Et natio callida verſutaque cum ſit ad alliciendos ad ſe homines, quæſtumque percallens, cœperat Hiſpanorum pleroſque, qui nec ipſi, nec majores ipſorum, niſi vera Chriſti Salvatoris dogmata noverant, pernicioſo ſuo veneno inficere. Qua in re adeo prævaluiſſe feruntur, ut omne rerum arbitrium ad ſe traherent; nihil eſſe ducentes tam magnum, quod non auderent, & per ſe melius agi exiſtimarent. Eoque jam pervenerant, ut affinitates cum Proceribus vulgo ingererent, tum ob divitias, tum ob artes, quibus impotentiam Regum inſtruerent. Etiam Sacerdotiis manum injecerant, vectigalibuſque, quæ non modo publica, ſed Regulorum redimebant, maxime ſtudebant, occulte callideque ſerendo, ut Regum poſtulatis obviam iretur. Sicque Principum fruſtratæ ſunt voluntates: quam cauſam fuiſſe remur citius inquirendi illos, & ſævius plectendi. Quo terrore, & ſuppliciis cum multi vita & fortunis privati ſunt, tum plerique poſthabitis domibus & fortunis, vitæ conſulentes fuga ſe tutati ſunt. Quare etſi deinceps Reges quietius imperitarunt, non parum tamen & hominibus infrequentius Regnum, & divitiis exhauſtum reddidere, ſancta illa Inquiſitione, ſeu ſanctitatis prætextu. Quare etſi honeſti rectique forſan propoſiti fuerit inventum, tamen exequendi modus crudelitatis & avaritiæ nomen indidit. Duraverat intentio & rigor facinoris hujus in mortem uſque Eliſabellæ Reginæ, qua ceſſante, & Rege adventu Philippi Generi ſui ab Hiſpanis deturbato, aliquantiſper remiſſa ſunt, quoad Rex a nobis ad Hiſpanias reverteretur, ex quo nulla minori auſteritate, avaritiaque repetita audivimus. Dumque hæc in Hiſpaniis aguntur, ad nos ſæpe fama pertulerat, geſtire Regem ad hoc ſuum Regnum, & qui ſimiliter inquirerent & punirent, deſtinare. Quod etſi multorum animos fama hæc percuſſerat, tamen quando diutius protractum videbatur, credebatur nunquam fore; nec tentaturum Principem rem novam, & hactenus inauditam, ubi talium criminum nulla ſuſpicio extiterat.

Hac ſpe, aut opinione ſubfirmatis animis, proxime ad nos Præſul Cepheleditanus Neapolim acceſſit, Divi Dominici inſtitutionum Profeſſor, ad Inquiſitionis officium (ut fama erat) per-

agen-

agendum. Cumque aliquandiu nihil tentaſſet, nec adventus ſui cauſam, neque poteſtatis documenta oſtendiſſet, opperiens, ut eventus declaravit, Officii collegam, cui, profanus cum eſſet, liceret capitaliter plectere, & libenter damnatos expilare. Qui non multis poſt diebus huc appulit, magnaque illius adventu animorum commotio ſubſequuta eſt, adeoque omnium mens in Officium, Miniſtroſque excanduit, ut nullo expectato Inquiſitorum ad progreſſum motu, nec habita, quid acturi forent, cognitione, ſubito viritim, vicatimque privatis & publicis congreſſionibus acclamatum, nullatenus ferendum, tale Inquiſitionis Officium in ſe non modo peragi, ſed nec indici quidem; proinde, ſi qui ad hoc venerant, ab omni illius incœpto progreſſuque deſiſterent, in bonamque eorum rem, qua venerant, reverterentur. Cumque ſummuſſaretur, ſtatuta Dominica die habituros Inquiſitores maxima in Æde ſermonem ad Populum, paratoſque Rogatione Urbem, Crucifixi Domini atratum proferendo ſignum, luſtrare: adeo grave intolerabileque acceptum eſt, ut illico undique convenerint unanimes, ſe ſumturos arma; & ſi quid tale auſi fuerint, etiam vi inhibituros, minitantes. Ad hoc communi omnium ſententia, & Nobilitatis, & honeſtorum Civium, & humillimæ Plebis, tandem deventum eſt, ut ad Vicarium Regis mitterent, qui hanc unam omnium mentem deferrent. Delegaruntque plures numero ex ſingulis Civitatis Regionibus, quomodo mitti ſoliti erant; qui ſummam injunctorum audaciter retulere; & cum uni eloqui datum eſſet, pauci tamen abſtinuere, quin ex ſe aliquid adderent. Ubi relatum, qualis Hiſpaniarum Inquiſitio redacta ſit, & quam levibus ex cauſis crudeliſſima tormenta, & mortes infligat; quin & judicatum contra jam vita functos, & cremata oſſa ſepulcris ereta in mortuorum dedecus, viventiumque terrorem; prægnantes non expectato partu, necatas; pueros, infanteſque pro parentum poſtulatis exheredatos; puellas & virgines nec ſuæ, nec alienæ culpæ obnoxias, contra virginale decus pudoremque, nudas per oppida circumactas, & dotibus privatas; ſubmiſſos etiam, qui innoxios tanquam inquirendos territarent, fugereque compellerent, fugamque exinde criminum confeſſionem judicantes, domos, villas, ceteraque eorum bona Fiſco addicebant; & famulitii, ſi quid forte remanſerat, in carcerem ad quæſtionem trahebant, ut quæ abeuntes Domini occultaſſent, indicium ab illis extorqueretur; & longe iis exquiſitiori rapacitate, avaritiaque miniſtra objectum eſt, quod in malluviis Jeſu nomen celatum haberent, ut illum

exſpuerent, in illumque excrearent & vomerent, cauſati ſtomachi levandi repletionem; nonnullis, quod Crucifixi Domini ſignum, ubi ſcaphia & matulas collocaverant, depictum tenebant in illius contemtum; ſubſannaſſe alios, dum ſacra & ſermones de Jeſu Salvatore agerentur, exinde exitiale exſtiterat.

Hæc, & his plura cum tumultuarie ad hoc miſſi dixiſſent, tandem hunc dicendi terminum impoſuere, iterum repetentes: nolle Civitatem omnino pati, inquiri in ſuos Cives crimina ſibi ignota, & ubi numquam ſimilia audita ſunt, & ſimiliter ſubire diſcrimen lucrionis delatoris, cujus etiam nomen celaturos Inquiſitores pollicerentur, & quæſtus partem præbituros. Itaque multam fore rapinam oportet, de qua multos ditari velint. Unde liquet, non ſinceritatem Fidei inquiri, quæ apud nos Chriſtiane viget, ſed æs, quod eripi & ſubtrahi poſſit. Ergo cum nos, & noſtra opportunitati Regis expoſita ſint, precamur, ne cum tanto noſtro dedecore nos expilari, & ſub velamine Fidei, prædæ eſſe velit, & tamquam Infideles occidi. Si ergo Regni quietem, & Regis gloriam optat, inhibere velit, ne hujuſmodi homines ulterius ad agendum procedant, neque Orationem de hac re habere, neque rogatione Urbem luſtrare ſinat, ſi motus & turbellas excitari nolit: quod profecto Regi ingratum & indecens foret, & nobis damnum, quibus ſimilia minime cordi ſunt, utpote inutilia, & inhoneſta. Hæc & ordine & geſtu acta ſunt, ut facile turbatos animos dicentium noſceres, quibus adſtipulabatur adſtantium murmur, & crebra dicentium interruptio, cum nemo ſatis per Oratores mentem Civitatis expreſſam crederet, & ſe quiſque aliquid ad rem pertinens ſuggerere putaret. Quæ Oratio, juxta quorundam judicium, viriliter audacterque peracta eſt. Erant tamen, qui temporum & perſonarum habita ratione, nimis intentam, & ut honeſtius dicam, animoſam judicabant poſtulationem, quam ne eventus aut inconſtantem, aut damnoſam oſtenderet, Deum precabantur.

Reſponſum eſt a Præſide, Regis literas eſſe, quibus jubebat, Inquiſitoribus Magiſtratus adeſſe, quarum ſimiles credere ſe ait, Neapolitanos accepiſſe; vellentque, ut hos, tamquam a ſe miſſos, ob eorum utilitatem, & Chriſti Salvatoris gloriam, utque ejus nomen ſincere, Catholiceque celebretur, benigne grateque accipere, favorabileſque illis eſſe, ſi rem gratam facere ſibi cuperent, ſeque ejuſmodi rei bonæ memorem fore. Proinde Regis mandata exequi velint, quæ utilitatis maximæ, & honoris cauſa juſſerit,

ſerit, non direptionis, infamiæ, & occiſionis, ut male perſuaſi ipſi autumant. Magiſtratus autem munus eſt, ſui Principis voluntatem exequi, non autem ſolvere, neque illi obſiſtere. Cui minime aſſenſum eſt; ſed quaſi chori vox ex diverſis una audiebatur, cauſantium Regis facilitatem, & Quæſtorum importunam avaritiam. Itaque perſtare iis, quæ popoſcerant, enixiuſque petere, ne quid novari permittat; eumque per Regis Regnique otium adjurare; quando nihil magis, quod Regiæ Celſitudini conduceret, moliri poſſit. Quos cum adeo ſubiratos videret, Præſul ipſe expectare tantiſper reſponſum juſſit, dum Conſiliarios adeat. Mox revertens reſpondit: *Ut noſcatis meum in vos animum, & id, quod citra inobedientiam Regis facere poſſum, libenter præſtare, ad Regem delegatis, qui rem omnem, ut hic acta eſt, enarrent, & Civitatis fideliter cauſam agant; fore enim facile, ut Princeps veſtras admittat rationes, voluntatique ſatisfaciat; & ipſi audito Rege, quid ſuæ ſit mentis, quid diu ad hoc agitandum egerit, ſine ambiguitate cognoſcant, & facile conventuros ſperare. Interim ſe inhibiturum, ne quid novi hac de re Inquiſitores moliantur. Hortatur tamen illos, ut quiete pacificeque rem ſuam quiſque agat, nec otium Magiſtratus, mentemque Regis turbent, in iramque provocent.*

Iis igitur acceptis diſceſſere. Quem vero ad Regem deſtinarent, mox unanimes elegere eo conſenſu, ut mirum profecto Neapolitanis videri poſſit, quem diuturniorem noſtri ſoliti mores non ſpondent. Et utinam ante egreſſum Oratoris; non enim jam diſſidii ſemina deſunt, & qui tempeſtive illa ſpargere norint. Cumque nondum ad Regem deſtinatus neceſſariis ſe expediverat, ecce tricarum ſparguntur fila. Me tamen & ætas, & longe magis, quæ videram meminerimque, ſuſpectum reddunt; ſed ominari ſinamus. Novimus enim, pauca juxta hominum judicium eveniſſe; ſed plerumque diverſa, ſæpe etiam contraria. Exitus ergo oſtendit rei veritatem, non noſtra prædictio. Iis igitur de caulis occupatis animis, & Oratore nondum digreſſo, forte evenit, quod multi ad Inquiſitorum terriculamentum factum volebant; quare hic ſubdere non alienum duxi, & ſimul ut verum liqueat.

Lis pervetuſta erat inter Civem, & Magiſtratum, quem Juſtitiarium appellant, de qua non ſemel inter partes jurgia, & verba utrinque minus honeſta jactata fuerant, & animorum virus præſeferentia. Cum itaque forte obvii ſibi fierent, vir, qui proxime Civitatis cauſam ſolerter curaverat, & puer patroni, qui e con-

contrario litem diligenter defenderat, primo conſpectu ſe ſubſannando ſalutaverunt; deinde de ſtatu cauſæ perquirendo, ad convicia & verba animos detegentia perruperunt. Hinc rumor percrebuit, omnemque pervaſit Urbem, a cliente illo Juſtitiarii Civem populo carum, ob cauſſam ſtrenue in Juſtitiarium actam, lethaliter percuſſum eſſe. Nihil ultra conſultius expectato, itum ad arma, tabernæ officinæque clauduntur, quiſque armatum ſe multitudini addere feſtinat. Itaque expectatione celerius maximam armatorum manum circuiſſe Juſtitiarii domum videres, eamque perfringere tentantem, ipſumque expoſcere, tamquam perpetratæ Civis necis auctorem. Hæc audientes Magiſtratus, & Optimates quamplurimi, advolant ad tumultum ſedandum, mitigandumque plebis furorem, quem tamen avertere omni arte & ſtudio nequiverunt, donec errorem manifeſtum oſtenderent, & quem graviter percuſſum audiverant, incolumem beneque valentem coram cernerent. Interea qui ad inquirendum venerant, ſibi plurimum timentes, ſuique cauſa excitatam plebem rati, alienis domibus pluribus commutatis, ſecretiſſimas latebras petierant. Itaque quod controverſia Civium actum eſt, id terriculamentum Inquiſitorum plerique credunt, & Hiſpani fere omnes aut tenent, aut cauſſantur. Quæſitores, ſociique (etſi verum norint) in ſe arma ſumta muſſitare non deſiſtunt. Hæc hanc uſque in diem acta ſunt; finis tamen dubia expectatione eſt; qualem vero nemini liquere credo. Multi tamen, quod vellent, futurum exiſtimant, non reputantes potentium mentis receſſus, ubi quotidie condunt, quæ quandoque minus expectato ſuum ad uſum promant.

Oratoris ad Regem miſſi reſponſum expectatur, quem incolumem iſſe, & reverti optamus. Vir quippe frugi eſt, ſed valetudinis non æque par; pedibus enim, etſi juvenis, laborat. Interim ſollicitæ de reſponſo Civitati, anxiæque, quod aliquamdiu nuntii morabantur, allatæ ſunt literæ ab Oratore ad Sex viros, quibus cauſſabatur tarditatem appulſus ad Regem valetudine, qua itinere tentatus, non adeo, ut volebat, ad iter intenderet. Sicque tardius quam optaverat, ſed quam timuerat, longe citius ad Aulam pervenit. Ubi a Rege benigne acceptus, & mandata prolixius diſtinctiuſque exponens, attente placideque auditus. Cui Rex ſatis ſereno vultu, placidiſque verbis reſpondit: Non profecto illis de cauſis, quibus perperam Neapolitani perſuaſi fuerant, aut vererentur, ſed pro Fidei puritate, Chriſtique Salvatoris gloria, ſui, & ſubditorum claritate vitæ morumque, Inqui-

Digitized by Google

quiſitionem hujuſmodi Neapoli intentari per ſuos velle ; neque eos, quorum majores ſalutari unda perfuſi eſſent, tali indignationi ſubjacere. Sed inſtantibus Conventibus, ſe daturum operam, quoad illos dimiſerit, ut mox per aliquem Senatorum intelligat; qui ad eos, qui ad illum miſerant, reſpondere valeat, quid ſuæ mentis fuerat.

Sex fere dies poſt receptas haſce literas, recentes aliæ afferuntur, quibus Civitatem ſcire volebat, cum nequaquam expectatum, ſæpiuſque requiſitum reſponſum ab iis, quos redditurus ſperaret, accepiſſet: viſum eſt per ſe iterum Regem compellere, ut dignaretur ſua Celſitudo brevi petitionibus Neapolitanorum aſſentiri; oſtendens, quam glorioſum ſuæ Majeſtati, & conducibile nobis ſuis fidelibus futurum eſſet. Cui paucis, curaturum ſe quamprimum, & juſtifice reſpondere; nec potuiſſe propter circumſeptum a Purpuratis Regem ulterius alloqui. Quæ ut primum pervulgata ſunt, Civitatem omnem adeo iterum, ſed varie commoverunt, ut pæne omnium mentes male affectas oſtenderent, ut qui reſponſo tali negatam poſtulationem judicarent. Alii demiſſo capite, conſiderato, quam diſcriminoſa res eſſe poſſet, triſtes ſecum, aut cum paucis ſui ſimilibus meditabantur. Alii vero, & hi pars maxima, invicem ſe adeuntes, proprias claudentes tabernas, alienas ineundo, hoc reſponſum maxime verentes, ut venturi mali prænuntium, ferocioribus verbis, non id pati debere, mutuo ſe hortantes, ſimiliter vicatim cœtus eadem de re non modeſtius loquentes aſpiceres, & velut Juſtitia indicta Curiam ſuam unuſquiſque petere, ut quid agendum foret, conſultaret. Itaque per Nobilium Conſeſſoria, perque Civium Conventus decretum eſt, ſecundo Regis Vicarium majori numero, una cum Sex viris expoſtulatum iri velle, enixiuſque Regi eorum nomine ſupplicare, nolit rem tam acerbam ipſis, ſibique inviſam executioni tradere. Profecto hoc ſe augurari malum, negotiaque moleſta perpetuo adfuturum; quantique diſcriminis ſit, noſſe Regem, ſubditis diſpliciſſe, nemo ignorat, jure vel injuria nil diſtantibus.

Sicque catervatim inde Reginam Ferdinandi prioris uxorem eadem petitum adeunt. Nec intermiſſo curſu ad Cardinalem Surrentinum eamdem orationem habuerunt. Ab utriſque idem reſponſum: moleſtiſſimam ſibi eſſe hujuſmodi rei mentionem, utpote multorum mentibus, & quieti adverſam, ſcripturos nihilominus ſe accuratiſſime ad Regem, precibuſque efficaciſſimis rogaturos, ut quavis ratione Neapolitanis hac in re beneficum ſe exhi-

exhibere vellet. Scripſerunt & ipſi, urgentes Oratorem, ut perſeverare velit in priorum poſtulationum conſtantia, & ſcire, quam male acceptum fuerit ultimarum literarum reſponſum. Quod ſi e re judicaret, literas ipſas Regi oſtenderet. Hæc hactenus a ſecundis receptis literis acta ſunt. Expectatio majoris timoris, quam ſpei eſt. Animi Civium valde moti vifuntur, & quotidie aliquid novi ſuſurri auditur, nunc veniſſe jam Inquiſitionis metam, ſed celari a Magiſtratibus, donec conſultius Regis reſponſio reddatur; modo non veniſſe, ſed prope diem adfuturam dicunt, & pro cauſſis conjecturas diſſeminant. Obſervatus interim quam minimus Inquiſitorum motus; domum enim prope Arcem, ab eis magna importunitate quæſitam, volunt, ut Officium licentius tutiuſque ibi peragere poſſint.

Exiit deinde VI. Kalendas Octobris (ſive rumor, ſive ſuſpicio mentes hominum ſubierat) vox, quæ ingenti motu Civitatem exagitaret: veniſſe literas, ut Inquiſitio indiceretur, velleque poſtridie Regis Vicarium de hac re concionem habere, ibique mentem Regis aperire, ut id pacate peragereturr. Quod adeo pro comperto acceptum eſt, ut illico ad conventicula concurſum ſit, acclamatumque, ut tabernæ & officinæ occluderentur, armiſque ſumtis convenirent, vindicaturi, ſi quod Inquiſitionis nomen audirent. Adfuere & ea inſania homines, ut tintinnabulis ad arma plebem excitandam dicerent. Res maximo quidem diſcrimini, ingentique malo proxima fuit: quod prudentiorum interventu vitatum eſt, & communi Ordinum ſententia viſum, per primarios Regionum viros, & numero ampliori Regni Præſidem convenire, ipſumque enixe deprecari, obviam iret tam pernicioſo ingentique malo, & per Regis obſequium, quietamque Civitatis ſalutem orare, cui adeo inviſum hoc Inquiſitionis nomen, ut quodvis diſpendium perpeti, quam illam admittere præoptaret. Proinde etiam ſi a Rege literas aliter imperantes haberet, ut nolit eas propalare, neque quod jubeat exequi, exiſtimetque, Regi nihil gratius futurum tranquillitate & otio ſubditorum; cum ipſum tantilla de re ſperent, nolle egregiam hanc ſuam, Maeſtatique ſuæ commodis expoſitam Civitatem corrumpi, aut talis infamiæ nota uri. Quibus mirari ſe reſpondit, cum nihil tale, neque a ſe, neque a Rege perceperint, tam indecentes excitaſſe rumores. Quippe ſibi negotium hoc omni ex parte moleſtum, & anxiæ curæ eſſe materiam; velle tamen cognoſcant Neapolitani ſuam in hac re mentem, nec minus

nus pro quiete & otio ſui Principis, quam totius Regni accuratiſſime ſcribere ad Regem, eumque etiam atque etiam orare, ut ab Inquiſitione deſiſti procuret. Monere tamen magnopere, & exhortari illos interim, ne ad facinus aliquod prolabantur, quod Regem pro majeſtate non adeo placabilem & mitem eſſe ſineret; ſed potius vel ingratiis ſuis diſſimilem fore cogeret. Daturi utrique ad Regem literas diſcedunt. Hæc ad hanc diem acta noſcuntur.

Interim dum reſponſum expectatur, numquam deſitum eſt ſubtumultuari, & conciones crebras haberi tam Nobilium, quam Plebejorum; & quoties recens aliquid de acerbitate Inquiſitionis allatum, ſeu fictum, ſeu verum eſt, itur a quocunque ad ſua conciliabula, & ſemper idem, damnatio ſcilicet & acerbitas Inquiſitionis agitatur; remedii autem nihil, niſi ad Regem iterentur & inculcentur priores literarum petitiones. Hoc adjectum eſt etiam, ut Rogationes, luſtrata Urbe, annuntiatæ haberentur, quas Proceres, Nobiles, univerſuſque Populus ſequerentur: ordine vero eo, quem ſi adfuiſſes, riſiſſes forſitan, aut ſtomachoſus receſſiſſes. Hæc coram melius intelliges, & de noſtra ſapientia æquius judicabis. Ne vero ſeriem deſcriberem, metus fuit in cauſa, ne forte in manus noſtræ literæ deveniſſent, a quibus levitas noſtræ Urbis merito videretur. Nonnullos poſt dies literæ Oratoris noſtri redditæ exiguam vulgo ſpem præbuere. Scripſerat enim, Auguſtinum Vicecancellarium ſolito meliuſcule viſum de re noſtra ſentire, & loqui: quare orare nos, velimus ad illum literas publicas dare, quibus tamquam de re benemerito gratias agamus. Inſuper enixe precari, noſtrum ut ſumat patrocinium, ſoreque nos exinde beneficii memores, & laboris non ingratos polliceri. Quarum interpretamenta, quam varia, diſſona, quin etiam contraria ſint, tibi, qui commentantium ingenium, & libertatem Populi noſtri noſcis, liquere non dubito. Concurſatum per vicos, & fora, obviis ſe intuentibus invicem, mutuoque interrogantibus. Nec ſecus in Nobilium Conſeſſoriis inaniter laboratum eſt.

His adhuc exercentibus nos rumoribus, ecce novi ſuboriuntur. Quippe Sex virorum unuſquiſque ſuos tribules admonuit, habere ſe ex Hebræo Apulo, cujus reddebant nomen, & ex Chriſtianis duobus, quorum nomina jurejurando acceperant, & propterea non ederent, cœpiſſe jam inquiri Monopoli, & Præſidis Provinciæ illius Miniſtros ſubinde ſpectari commonentes Populos,

velint, quæ Rex mandaret, libenter admittere, & ſine tumultuatione Inquiſitionem exequi. Quanta commotio his nuntiis agitata ſit, niſi qui viderint, credere minime poſſent. Per vicos furentium more, perque fora, & templa querentes ſe decipi; quod minime ferendum eſſet. Expoſtulandum propterea cum Præſide, quando pollicitus fuerat ad reſponſum uſque Regis nihil de Inquiſitione innovari: agi contrarium. Nunc enim, ajebant, noſſe nos Inquiſitionem procedere ſe inſciis; & verſute aliunde cœpiſſe, ut ad nos mitius perveniret. Vix itaque aliquibus maturioris ſententiæ viris obtemperatum, ut Præſidem adirent, illumque eorum, quæ audierant, certioratum ordine redderent. Sciſcitarentur inſuper, quid de talibus nuntiis haberet, & ſi vana eſſent, non oportere ulterius progredi; ſin vera, ſupplicarent, ut malum ne ſerperet, provideret, quin potius extingui curaret. Quod profecto in Regis gloriam, ejuſdemque & noſtrùm quietem plurimum facere exiſtimamus. Dum hæc agitantur, incertique adhuc, vera ne fuerint, an ſecus, ex Apulia allata, & in labore & metu eſſet Civitas: ecce Præſidis ſtratores Sex viros ad illum ire nuntiantes, ſecumque nonnullos civium ſuo quoque ex ordine ducere, audituros profecto rem lætam, omnique Civitati pergratam. Colligentibus ſe vocationi, adhuc non deſitum eſt dubitare, & metus non minus ſpei ſecum afferre. Adeuntes vero Præſes vultu prius, quam voce cura levavit, & bene ſperare promiſit; deinde læto benignoque ore inquit; habere ſe a Rege literas, quibus mandaverat ut Neapoli, reliquoque ejus Regno minime inquireretur; pro comperto enim habebat, a Chriſtianorum quoque primordiis hic Fidem mere ſincereque ſervatam, nullaque contagionis nube prætenſam. Itaque eis benigne tribuere, ne ſuſcipionis quidem nota inurantur; oſtenditque literas Regis ſignatas manu, quæ dixerat, affirmantes. Habere inſuper Pragmaticas, quibus imperat Judæos cuncto hoc ſuo abire Regno; ad quorum abitum Martium menſem proximum terminum impoſuit. Interea licitum ſit ſua libere, otioſeque diſtrahere, commutareque cum quibusvis, & quæ ex illis reſumſerint, ſecum libere exportare, excepto auro, argentove rudi, ſeu ſignato; quod in antiquis Regni Conſtitutionibus cautum eſt. Eademque Pragmatica omnes Neophitos, qui in Apulia, Calabriaque degunt, quique ex Judæis ibi oriundi cognoſcebantur, intra terminum Judæis datum iiſdem conditionibus Regno abire mandat. Interim neminem illis injurium aut mo-

le-

ſeſtum eſſe vellet. Verum ſi pertinacia auſi fuerint præſtatutam diem non ſervare, & in Regno perſiſtere, cuncta eorum bona, ipſoſque, ubinam Imperii ſui inventi fuerint, ipſo jure diripi, & capi licere.

Ingenti igitur lætitia accepta eſt ejus oratio, revertenteſque vicatim, quæ audierant, recenſentes, omnis Civitas exultare, & bene precari Regi, tintinnabuliſque undique perſonare cœpit. Sperabam equidem gaudium, lætitiamque diuturniorem futuram, ut poſſem per literas tibi, cum coram non dabatur, congratulari de tam exoptato, & demum ultro oblato beneficio; ni princeps ille diſcordiarum Diabolus ſuæ artis miniſtros, qui ejus ſemen ſpargerent, ſubmiſiſſet, ſuſurrantes non perſpicue Pragmaticæ quædam verba ambigua Inquiſitionem penitus tollere, ſed doloſe nobiſcum agi. His itaque ſtimulis agitata multitudine, turmatim conſultaturi eunt, quid facto opus eſſet, quoniam pars maxima in fraudis ſuſpicionem devenerat. Viſum eſt a Præſide poſtulare, ut præconium emittere biduo differret, dum Legis peritos conſulerent, an Pragmatica aliquid etiam Inquiſitionis in nos ſaperet. Quos & præſumtionis, & diffidentiæ arguit; mirari ſe inquiens, dubitare eos, quibuſcum Celſitudo Regis tam benigne, liberaliterque agi mandaverit, qualiterque tot nobilium reliquarum Civitatum ſuarum nulla, ſibi ab illo verſute imponi, & ſubdole agi audere crederet: fuerat quidem juſtius, tantum beneficium cognoſcere, illiuſque perpetuo memores eſſe. Irent ergo, & tam optata gratia frui, & gaudere ſciant. Reverſis mox Civitas omnis ſuſurrat, patere jam ſtrophas, & in facto eſſe, poſtquam Præſes tam moleſte tulerit interrogari: Præcones biduo, ne Pragmaticam publicarent, detinere noluerit. Obſtrepitum verius, quam conſultatum diei reliquo. Sequenti vero, qui fuit III. Kalendas Decembris, Præcones ceterique ejuſdem officii ſuum peracturi munus ad Sellarios uſque tacite devenere: quibus viſis, tubarumque vexillis agnitis, ingens multitudo ſe illis objecit vociferando. Tunc territi Præconii miniſtri fugere, qua venerant, cœperunt. Non pauci clamantes ſequebantur. Sunt etiam, qui impetitos luto viderint, ſuſtibuſque deterritos, ita ut abirent, citra ſonitum populum excitantem, Pragmaticæque enuntiationem. Erant, qui accurſationes levium, & curioſorum fortuito ſine Præconum injuria factas vellent, & utriuſque relationis oculatos teſtes ſe exhibebant. Impeti illos cœno, ſuſtibuſque fugari, vidiſſe alii affirmabant. Nec deerant, qui negotio interfuiſ-

ſe, & nihil tale non modo vidiſſe, ſed nec etiam eſſe actum affirmabant. Ceſſavit ergo ex omni Urbis parte Præconium eo die.

Ingens deinde multos inceſſit cura, ne tali motu itum ad Majeſtatem foret, maxime cum etiam qui conclamatum eſſe audiſſent, dicerent omnes tabernas claudi, & Regia edicta propalari. Levior enim, & ut ſolet, maxima pars, hæc pro nihilo haberi volebat, & prædicabat, cui potioris conditionis non minima pars non adſtipulabatur: quare aliquantulum inter eos certatum, & eos, qui minime volebant, diſceptatum eſt. Convenere tamen, ut ad Divi Laurentii ædem iretur, ibi quid agendum eſſet, diſceptaturi. Quo in Conſilio tantam multitudinem adfuiſſe cerneres, ut artificum neminem in ſuis tabernis, aut officinis reperire poſſes. Et adeo indiſcrete concioni ſe turba immiſcuit, ut nihil eorum, quæ ad id electi conſulebant, eſſet, quod audirent, & ſuis non requiſitis reſponſionibus non interpellarent. Hæc concio in tertiam noctis horam a prandio producta eſt; & niſi nox finem imponeret, coegiſſent diutius durare, ut vocum diſſonoritas, & ſententiarum diverſitas pollicebantur. Coacti ergo in tempeſtate noctis concionem ſolvunt. Sicque importuna eadem noctis hora Arcem adeunt, Præſidemque conveniunt; eadem, quæ prius, tumultuoſe petunt: dilationem ſcilicet duorum dierum, dum per Legis peritos Pragmatica reviſeretur; liberum deinde illi futurum edicta Regis per Præconem publicare. Præſentis diei motus potius pro errore defenſionis, quam pro culpa, purgatus eſt: quibus, qualiſcumque fuerit, pro nihilo duxiſſe reſpondit. Pragmaticam vero conſultent, quamdiu velint; dilationem biduï, quam poſtulant, non eſſe neceſſariam, quoniam pro nuntiata jam habebat proxima Præconum apparitione: ſi autem per ſe promulgare velint, fore eorum arbitrii. Sic ab eo diſceſſum. Varia reſponſionis interpretamenta, partim culpantium poſtulata, partim æque laudantium, unde tale emanaverit reſponſum. Poſtque multa viſum eſt, iterum Præſidem compellare, vellet Pragmaticam per ſolita Urbis loca Præconis voce notam facere; fore id cariſſimum cunctis: quod factum eſt citra diſſidium, aut tumultum aliquem.

Sperabam equidem receptis a Rege literis, quibus ad Inquiſitionis metum efferebamur, lætiſſime ſignare, & complicare has ad te potuiſſe. Quod ne fieret, multorum noſtrorum ingenii perſpicuitate, & nimia prudentia effectum eſt. Et utinam perficere per eorumdem, ut ſibi videtur, prudentiam liceat. Reſtat enim

enim adhuc, quod nos exerceat, negotii non parum, quod in nos attraximus, & diſſidii ſemina vellere: quæ utinam tam facile facere poſſimus, quam ſalubriter, & honeſte debemus. Cernimus enim in dies inſolentiam pertinaciamque multorum augeri; & quod peſſimum judico, quanto quiſque quieti & veritati magis adverſus eſt, tanto plures ſpectamus, qui illorum accedant ſententiæ, & pæne conceptis ſequantur verbis. Vale.

GE-

Digitized by Google

GENEALOGIA

CAROLI PRIMI

REGIS NEAPOLIS

TRISTANI

CARACCIOLI.

CArolus Andegaviæ, & Caramaniæ Comes, Ludovici Francorum Regis, & Blancæ Regis Caſtellæ genitæ filius, & Sancti Ludovici Regis frater, uxorem habuit Beatricem ultimo genitam, & heredem Raymundi Berengarii Provinciæ Comitis, ex qua Carolum filium unicum ſuſcepit. Hic ab Urbano IV. Pontifice Romano in Manfredum Federici Cæſaris filium, Regni Neapolis occupatorem, Romanæ Eccleſiæ inſenſum, auxilio vocatus anno ſalutis 1263., & ab eo utriuſque Siciliæ Rex deſignatus, donec expeditionis neceſſaria parantur, Romæ Senatorio munere functus eſt. Mortuo denique Urbano, a Clemente IV. in Lateranenſi Baſilica Rex unctus eſt, & coronatus anno 1265., ad Regnum armis capeſſendum profectus, Manfredo vita, & Regnis ſpoliato, victoria potitus eſt. Regnavit annis XIX. vixit LX. obiit Fogiæ anno ſalutis 1284.

Carolus II. Caroli I. filius ex Maria Hungariæ Regis filia quatuordecim filios genuit, novem mares, feminas quinque.

I. Primus e maribus Carolus Martellus appellatus eſt, Salerni Princeps, & honoris Sancti Angeli Dominus, qui vivis adhuc parentibus materno jure Hungariæ Rex factus eſt.

II. Ludovicus Epiſcopus Toloſanus, qui ob vitæ innocentiam inter Sanctos relatus eſt.

III.

Digitized by Google

III. Robertus Calabriæ Dux, qui postea Rex Patri successit.

IV. Philippus Princeps Tarentinus.

V. Raymundus Berengarius, qui absque liberis vita functus est.

VI. Johannes Thomas Clericus, qui obiit admodum puer.

VII. Tristanus natus, quo tempore Carolus pater captivus citeriori in Hispania detinebatur, qui & ipse infantili in ætate functus est.

VIII. Johannes Achajæ Princeps, & postea Dyrrachii Dux.

IX. Petrus Comes Gravinæ, qui in Hetruria in prœlio Montis Catini in subsidium Florentinorum missus, anno ætatis suæ 38 obiit.

X. Feminarum prima fuit Clementia uxor Caroli Valesii.

XI. Blanca uxor Jacobi Aragonum Regis, quæ vixit annos 34.

XII. Eleonora uxor Federici, fratris Jacobi Regis Aragonum, qui Siciliæ Regnum invito fratre occupaverat. Hæc vixit annos 40.

XIII. Maria, quæ nupsit Majoricarum Regi.

XIV. Beatrix, primo Marchioni Ferrariæ, deinde Beltrano Baucio Montis Caveosi Comiti nupta.

Maria vero Regina horum omnium mater obiit Neapoli, & in Ecclesia S. Mariæ Dominæ Reginæ Sororum Minorum S. Francisci sepulta est.

Carolus vero II. ejus vir obiit extra Neapolim in Hospitio Regio, quod Casam novam appellant anno 1309., & ætatis suæ 60. die V. Maji, anno Regni sui 25. Sepultus est in æde D. Dominici Neapolis, mox in Provinciam æde B. Mariæ Nazareth in Aquis translatus est. Post eum Robertus ejus filius, tertio, ut diximus, genitus Rex factus est.

Carolus Martellus Hungariæ Rex, & Caroli II. primus in ordine filius Princeps Salerni, & honoris S. Angeli, Elisabeth uxorem duxit, filiam Rodulphi Romanorum Regis, ex qua habuit filium, & Clementiam filiam. Verum vivis adhuc parentibus anno ætatis suæ 30. diem obiit, & in Cathedrali Ecclesia Neapolis prope Caroli I. Avi sui tumulum sepultus est, superstite Carolo filio, qui in Hungariæ Regno successit.

Clementia filia Ludovico Galliæ, & Navarræ Regi nuptui tradita est.

Carolus Caroli Martelli filius, & Caroli II. Nepos, quem in

in Hungariæ Regno, vivo adhuc Avo, ſucceſſiſſe diximus, Eliſabeth ſororem Poloniæ Regis, uxorem habuit, ex qua Ludovicum poſt ipſum Hungariæ Regem, & Andream, & Stephanum ſuſcepit.

Ludovicus Caroli hujus filius, Rex Hungariæ uxorem duxit filiam Caroli IV. Cæſaris, & Boemiæ Regis, ex qua prolem non genuit; eaque mortua ex Eliſabetha . . . . . filias procreavit, Mariam ſcilicet primogenitam, per quam Hungariæ Regnum ad Marchionem Brandeburgenſem, cui illa nupſerat, translatum eſt; & Annam uxorem Regis Iſtriæ Pagani, quæ ſucceſſit Hungariæ Regi Patri ſuo in Regno Poloniæ, quod ipſe Pater dotali jure materno poſſederat. Qui Rex Poloniæ ejus vir obiit 1383.

Andreas Caroli Secundogenitus, ex Roberti Regis voluntate, Johannam ex Carolo Calabriæ Duce Roberti Neptem, uxorem duxit, & mortuo Roberto Regno Neapolis potitus eſt; triennio tamen poſt a Johanna Regina uxore ſuſpendio necatus eſt.

Ex his, Andrea ſcilicet & Johanna, unicus natus eſt filius, Robertus Martellus appellatus poſt mortem Patris. Verum haud diu ſupervixit. Corpus Andreæ Regis Neapolim relatum eſt impenſa Urſilli Minutili Canonici Neapolitani, honeſtiſque funeralibus in Eccleſia Cathedrali prope Avum ſepultus eſt. Vixit annos 24. obiit anno 1345. menſe Septembris.

Ludovicus Rex Hungariæ ejus frater ad vindicandam Andreæ cædem in Regnum profectus eſt anno 1347. menſe Januarii. Cumque illi Averſæ Proceres proceſſiſſent, Robertus Princeps Tarentinus Conſtantinopolitanus Imperator vocatus, & Philippus frater ejus; item & Carolus Dux Dyrrachii, & Ludovicus, & Robertus ipſius fratres: omnes, tamquam ſceleris conſcios capi juſſit; Carolum tamen Dyrrachii Ducem in loco, quo Andreas Rex ſuſpendio necatus fuerat, capitali ſupplicio affici voluit. Mox Neapolim profectus eſt, recepta etiam ex Johannæ Reginæ mandato Arce, quæ Johanna paucis ante diebus e Neapoli in Provinciam mari per triremes delata fuerat. Ludovicus autem puerum Robertum in Hungariam miſit, & cum eo Principes viros, quos ſupra memoravimus captos, quos uſque ad annum ſalutis 1352. in vinculis habuit. Robertus vero Martellus eodem anno, quo in Hungariam appulit, vita functus eſt, & cum Regibus ſepultus.

Ste-

Digitized by Google

Stephanus tertiogenitus Caroli Regis Hungariæ uxorem habuit .... Ducis Bavariæ filiam, ex qua Elisabeth unicam filiam suscepit. Sed ad recensendum Caroli II. Regis Siciliæ filiorum ordinem redeo.

Robertus Calabriæ Dux, tertius in ordine Caroli II. filius, duxit uxorem Violantem Petri Aragonei Regis filiam, ex qua filium habuit Carolum Calabriæ Ducem, qui postea Patre superstite diem obiit. Post Violantem mortuam Xanciam Majoricarum Regis filiam, ut Violantis consobrinam, uxorem duxit, ex qua liberos non suscepit.

Hic Robertus, habita cum Carolo Caroli Martelli filio Hungariæ Rege de Regni Neapolitani controversia, Avenione a Clemente V. Romano Pontifice Rex declaratus est anno 1309. die Dominico, die primo Augusti, & regnavit annos 33. menses octo, & dies 15. Et mortuus, sepultusque est in æde Divæ Claræ, quam ipse a fundamentis erexerat, anno 1343. Idibus Januarii, ætatis suæ anno 68.

Roberto successit Johanna, ut dictum est, ejus ex Carolo unico filio Neptis, & Andreas ejus vir. Xancia Regina Roberti uxor cum in Regio Palatio annum jam sedulo viduitatem servasset, Monasterium Sanctæ Crucis, quod jam pridem construxerat, ingressa, inter Moniales in paupertate & humilitate quievit anno 1345. mense Augusti.

Carolus Dux Calabriæ, unicus Roberti Regis filius, tres habuit Conjuges, Catharinam scilicet filiam Ducis Austriæ, ex qua prolem non habuit. Eaque mortua, & in æde Divi Laurentii sepulta, Mariam duxit Carolo Valesio Philippi Francorum Regis fratre genitam, ex qua filios non habuit. Moxque ea defuncta, Matilda Comitis Sancti Pauli filia, & Catharinæ Imperatricis Philippi Principis Tarentini conjugis sorore, accepta, duas genuit filias, Johannam, quæ Roberto successit, & Mariam postumam. Obiit die Divi Martini anno 1328.

Johanna hujus filia post Andream, ut supra memoravimus, e medio sublatum, Ludovicum unum e filiis Philippi Tarentini Principis sui patrui magni, virum sibi delegit. Ludovico mortuo, Jacobum duxit Regis Majoricarum fratrem; & post eum, qui haud diu vixit, Othonem Ducem Brunsvicensem, quem non Regem, sed Tarenti Principem appellari voluit, ex quo nec etiam concepit. Et anno 1382. a Carolo III. Rege capta, & ejus jussu strangulata, in æde Divæ Claræ Virginis sepulta est; anno ætatis suæ....

Philippus, quartus in ordine ex Caroli II. filiis, Princeps Tarentinus, ex filia Deſpoti Romaniæ, quæ patri ſucceſſerat, duos habuit filios, duaſque filias. E filiis major fuit Petrus, ex hereditate materna Romaniæ Deſpotus, cui Majoricarum Regis filia nupſit; & abſque liberis, vivo Patre, adoleſcens deceſſit, & ſepultus eſt in æde Divi Dominici Neapoli prope Avum. Minor fuit Carolus, qui in Etruria cum Petro patruo pro Florentinis pugnans cecidit. Ex filiabus prima fuit Regina Armeniæ, ſecunda Gualterii Brennæ Athenarum Ducis, & Lupiæ Comitis uxor, quæ fuit ſterilis. Mortua prima uxore Philippus Mariam Caroli Valeſii filiam in uxorem accepit, ex qua filios non ſuſcepit. Eaque vita functa, ex Catharina Balduini Comitis Flandriæ, & Imperatoris Conſtantinopolitani filia, & Imperii herede, tres filios, & duas habuit filias. Filiorum primus fuit Robertus; ſecundus Ludovicus; tertius Philippus. Filiarum prima fuit Margarita; ſecunda Maria.

Robertus ex tertia uxore primogenitus Philippi Tarentini filius, ſucceſſit parentibus, & Imperio, & Principatui, & duxit uxorem Dominam Mariam Borbonam Ducissam, quæ primum nupta fuerat filio primogenito Regis Cypri. Ex prædicto Roberto, & uxore ejus non ſupervixerunt filii. Obiit Neapoli anno 1364., & ſepultus eſt in Eccleſia Sancti Georgii Majoris; & uxor ejus ſepulta eſt in Eccleſia Sanctæ Mariæ Novæ.

Ludovicus ſecundogenitus Philippi Tarentini uxorem duxit de facto Johannam Roberti Regis ex Carolo filio Neptem, & Regni heredem; ex qua duas habuit filias, Catharinam, quæ modico tempore vixit; & Franciſcam: Habita diſpenſatione a Clemente VI. Pontifice, ad quem ipſe Ludovicus cum Johanna uxore, jam Ludovicum Hungariæ Regem ſugientes ſe contulerunt, & mox reverſi Neapolim, anno 1352. ab Epiſcopo Bracarenſi coronati fuerunt die Dominico 26. Maji, die Feſto Penteceſtes, ac ſexto poſt coronationem die Franciſca infantula mortua eſt. Ex illo tempore Johanna Regina amplius non concepit.

Anno 1362. die Jovis 26. Maji in die Aſcenſionis obiit dictus Rex Ludovicus Neapoli, & exequiæ factæ fuerunt in æde Divi Dominici; ſed poſtea corpus ejus translatum eſt ad Cœnobium Montis Virginis, ubi ipſe ſepeliri ſe mandaverat juxta ſepulcrum matris. Obiit anno ætatis ſuæ 43.

Philippus tertiogenitus ex tertia uxore Philippi Tarentini Principis, ſucceſſit fratribus in Principatu Tarentino, & in titu-

lis

lis Imperii Conſtantinopolitani. Et primo duxit uxorem Mariam filiam Ducis Calabriæ, & Reginæ Johannæ ſororem, quæ ante virum habuerat Ducem Dyrrachii Carolum conſobrinum ſuum, ex qua filios, & filias habuit. Omnes tamen in infantili ætate perierunt. Poſtea Maria mortua Neapoli anno 1368., & ſepulta in Eccleſia Divæ Claræ, accepit Eliſabeth filiam Stephani tertiogeniti Regis Hungariæ, & Andreæ Regis fratris, ex qua filios non genuit. Obiit Tarenti, & in Eccleſia Cathedrali ſepultus eſt.

Margarita Scotiæ Regis relicta, fratribus vita functis ſucceſſit, quæ paulo ante, fratribus repugnantibus, Franciſco Baucio Montis Caveoſi Comiti nupſerat, & poſt matrimonium contractum cum viro, Andriæ Dux a Ludovico fratre & Johanna creata fuerat. Ex Franciſco Jacobum genuit, & Antoniam. Jacobus Imperator appellatus eſt, & poſt patrem fuit Princeps Tarenti; & Antonia nupta Federico Regi Siciliæ prægnans obiit. Hæc Margarita, cum Neapoli ex cauſa viri in vinculis habita eſſet, obiit, & ſepulta eſt in æde Divi Dominici, & in ea inclyta Domus Tarenti defecit. Nam Maria ejus ſoror jampridem Neapoli virgo obierat anno 1368., & ſepulta fuerat in Cœnobio Montis Virginis.

Johannes Achajæ Princeps ex filiis Caroli II. Regis octavus, accepit prius in conjugem Achajæ & Moreæ Dominam, ex qua liberos non genuit. Poſterius vero facto inter eos divortio (nam illa alium habere virum viventem comperta eſt) duxit Petri Calicenſis filiam nomine Agnetem, ex qua tres filii nati ſunt, Carolus Dyrrachii Dux, Ludovicus, & Robertus. Hic Johannes obiit anno ætatis ſuæ 53., & ſepultus fuit prope patrem in æde Divi Dominici.

Carolus Johannis filius Dux Dyrrachii duxit uxorem Mariam Caroli Calabriæ Ducis ſecundogenitam, & Johannæ Reginæ ſororem, & ex ea unicum habuit filium, qui infans Neapoli obiit; & quatuor filias, Johannam, Agnetem, Clementiam, & Margaritam. Hic Averſæ, ut diximus, juſſu Ludovici Hungariæ Regis capite punitus eſt, & in Eccleſia Sancti Laurentii Neapoli ſepultus eſt anno 1348.

Ludovicus ſecundogenitus Johannis accepit uxorem Margaritam Roberti Sanſeverini filiam, & ex ea unicum habuit filium, qui poſtea Rex fuit Carolus III. Hic affectati Regni Reginæ Johannæ ſuſpectus, ejus juſſu in Arce Ovi captivus detinebatur, &

illic obiit anno ſalutis 1367. , & ſepultus eſt juxta matrem in æde Sanctæ Crucis.

Robertus tertiogenitus mortuus eſt abſque conjuge , & liberis in pugna Pictavienſi, in qua Johannes Galliæ Rex a Principe Walliæ Anglorum Regis filio captus eſt.

Johanna, prima ex Caroli Ducis Dyrrachii filiabus, duos habuit viros, Ludovicum ſcilicet Regis Navarræ filium , ex quo non concepit. Et eo mortuo , & in Cœnobio Cartuſienſi ſupra Neapolim ſepulto , Robertum duxit filium . . . de Artois Comitis Atrebatenſis, a quo nec filios habuit. Hæc cum Roberto viro detenta in Arce Ovi per Carolum III. ejus conſobrinum obiit anno 1381. Robertus vero ſepultus eſt in æde Divi Laurentii Neapolis in Cappella Ducis Dyrrachii ſoceri ſui.

Agnes ſecunda primo nupſit Cani Scaligero Veronæ Domino, ex quo prolem non genuit; poſtea Jacobo Baucio Imperatori Conſtantinopolitano , & Principi Tarentino , cum quo etiam ſterilis permanſit. Mortui ſunt Agnes Neapoli , Jacobus vero Tarenti , & ſepultus eſt in Eccleſia Cathedrali.

Clementia obiit virgo Neapoli , & ſepulta eſt in æde Divæ Claræ.

Margarita ultima, ex diſpenſatione Urbani V. Pontificis nupſit Carolo Ludovici patrui ſui filio , qui pulſa Johanna Regina Rex poſtea Siciliæ factus eſt , & ex eo Ladislaum genuit, & Mariam , quæ in puerili ætate obiit Murconi , & ſepulta eſt Neapoli in æde Divi Laurentii , & Johannam, quæ poſtea Ladislao fratre mortuo Regina fuit.

Carolus Rex Siciliæ factus anno ſalutis 1381., & coronatus Romæ in Baſilica Sancti Petri in die Pentecoſtes 2. Junii, die 16. Julii Neapolim venit, & obſeſſa in Arce nova Johanna , captoque Othone Brunſvicenſi ejus viro, ipſam in deditionem accepit, miſitque captivam in Arcem Muri , in qua eam ſtrangulari juſſit in vindictam Ludovici patris , qui ab ea in carcere mori coactus fuerat. Othonem vero in Caſtellum Sancti Felicis in Lucania captivum habuit , qui demum libertate donatus , obiit Fogiæ.

Hic Carolus ab Hungaris vocatus in Hungariam profectus eſt , ubi adhuc regnabat Maria Ludovici Regis filia ex Carolo Martello de ſtirpe Caroli II. , qua aſſiſtente in Aula Regia coronatus fuit die Dominico ultimo Decembris anni 1384. (quo die inſolita & maxima fuit Solis Eclipſis). Die vero 7. Februa-

rii

rii immediate ſequentis opera Eliſabeth Reginæ ſecuri in capite percuſſus eſt. In Arcem Viſgradi perductus, die 27. ejuſdem menſis vulneribus veneno illitis, diem obiit, & ſepultus eſt in æde Beati Andreæ prope oppidum Viſgradi.

Ladislaus puer Caroli III. filius patri ſucceſſit, & ſeptimo poſt anno Cajetæ juſſu Bonifacii IX. Pontificis coronatus eſt Siciliæ, Jeruſalem, & Hungariæ Rex. Die Dominica, ultima Maii duxit in uxorem Conſtantiam Manfredi Claramontis Siculi filiam, magna pecunia dotis nomine accepta, quæ cum eo Cajetæ coronata & uncta eſt. Poſtea mortuo Manfredo illam repudiavit, & Andreæ Altavillæ Comiti cognomento de Capua nuptui tradidit. Ipſe vero accepit Mariam Johannis Luſignani Cypri Regis ſororem, quæ filiorum procreandorum avida dum intentius pharmacis ad id aptis indulget, biennio poſtquam viro nupta fuerat, Neapoli obiit, & in æde D. Dominici ſepulta eſt. Poſt alteram Mariam tertiam uxorem accepit ex familia Engenia, quæ prius Raymundi Urſini conjux fuerat Principis Tarentini, de qua etiam nullam habuit prolem. Obiit Neapoli anathemate notatus a Johanne XXIII. Pontifice anno ſalutis 1414. die 6. Auguſti, & fuit ſepultus in æde Beati Johannis ad Carbonariam.

Johanna Caroli III. filia Ladislao fratri ſucceſſit. Hæc vivente fratre vidua ab Auſtria redierat, cujus Provinciæ Duci nupſerat; ſed Regina effecta Jacobum de Borbona, Racentaſiæ & Marchiæ Ducem, virum accepit, qui Manfredoniam cum triremibus Venetis appulſus, quamplurimos Regni Neapolitani Principes obvios habuit, & ab his Neapolim perductus 1415., Regina conjuge, & Regno potitus eſt; ſed anno 1416. orta inter ipſos conjuges diſcordia, ab Arce Regia, quam Novam vocant, exiens, Cives Neapolitanos in Jacobum Regem irritavit, qui in Arce Ovi obſeſſus, ſpecie concordiæ ad Conjugem venit, & ab ea captus, biennioque detentus in carcere, & opera communium amicorum liberatus, tandem Tarentum aufugit in quadam navi Januenſium. Quo audito, Regina Johannem Antonium Urſinum Raymundi quondam Tarenti Principis filium, ad eum obtinendum cum exercitu miſit, qui opera impigre navata, Tarentum a Jacobo Rege pro ſoluta pecunia recepit. Jacobus mox ad patrios lares profectus eſt, Reginæque mortuæ ſuperſtes fuit.

Hæc Regina mandato Martini V. Pontificis coronata diem obiit anno 1435., & ſepulta eſt in æde Divæ Mariæ Annunciatæ, die 2. Februarii. In hac omnis progenies Caroli I. defecit &c.

DE

D E

FERDINANDO

QUI POSTEA REX ARAGONUM FUIT EJUSQUE POSTERIS

TRISTANI

CARACCIOLI.

FErdinandus, Alphonſi illius, qui primus nobis Hiſpanorum moderatus eſt, pater, cum ei Henricus Hiſpaniarum Rex germanus moriens, Infantis filii Johannis mox Regis, Regnique tutelam demandaſſet, ita eam integre, pieque geſſit, ut Proceres, Populique omnes Regem potius, quam Regis Tutorem præoptarint. Quippe præſentem, expertamque integritatem, quam quo evaſuri adoleſcentis Johannis mores eſſent, experiri malebant. Credebant inſuper, Ferdinandum tantum ultro oblatum Regnum non aſpernaturum, quod multi parricidiis, ſceleribuſque ſibi parare non forent veriti; quippe jam vulgo cernimus, & ſanguinis neceſſitudinem, & fidem, ipſamque denique Religionem, opibus & imperandi libidini cedere. Quod præſagiens ſagaciſſimus Princeps, ne nomen ſuum in diſcrimen iret, aut renitendo (quod omnino ſtatuerat) graviter Regnum offenderet, cum quod e re ſua poſtulaſſet, ſibi negatum cerneret, & inſenſum puero, & ſibi Tutori remaneret; aut annuendo, contra cognationis jura, germanique fidem, Infantis crediti ſibi Regnum, uſurparet; ſtatueretque immaculatam potius vitam ducere, quam execrandis ſceleribus fœdam execrandamque reddere: ire obviam ſtatuit, & ſe omni ſuſpicione affectati Regni liberum præſtare.

Hac

Hac igitur ratione prudentiſſime fieri poſſe excogitavit. Hiſpali Conventu indicto, quo ad præfinitam diem cum & Reguli, & Regiarum Civitatum Legati adiſſent, adfuit & ipſe, & puerulus Rex, cujus tutelam gerebat, aſſiſtentibus pro dignitate in æde maxima cunctis ſuis ordine ſellis, ſuſpenſis animis expectantibus, quidnam Ferdinandus allaturus eſſet. Is repente apparuit, Regem infantem, Regiis ornatum inſignibus, humero geſtans. Aſſurgentibus cunctis ad ſpectaculi novitatem, Regiſque honorem, indicto ſilentio inquit: *Fideliſſimi ſemper Regibus veſtris Hiſpani, & nunc maxime familiæ noſtræ, ecce Regem veſtrum*, (retorquens ad puerum, quem geſtabat, os) *hunc colite, hunc obſervate, in ejus fidem, & ſalutem, meis reſidentis, & fulti humeris, jurate, cum me idem feciſſe conſpexeritis.* Inde ſuggeſtum verſus, quem ſublimem ſtruendum curaverat, in quo erat etiam Regia ſella, ire pergit, univerſis ſequentibus. Ad locum cum perveniſſet, Rege ab humero clementer in ſellam demiſſo, retroceſſit Princeps adoraturus ipſe Regem. Captoque ſpatio, quo apte ſe ageret, clariuſque conſpiceretur, antequam ad Regem deveniret, ter ſubinde genu polito, revelatoque capite illum ſalutavit, juravitque in ejus obſequium, fidumque ſe futurum, & tanto arctius, fideliuſque obſtrinxit, quanto Patrui, & Tutoris iniquior eſſet perfidia. Hæc intenta voce, ut exaudiri etiam ab eminus ſtantibus clare poſſet. Genibus ergo aſſurgens, e quibus verba fecerat, a Rege oſculo accipitur. Eſt enim mos Hiſpanicorum Regum, gentiles, cum ſe primum adeunt, oſculo admittere. Quibus perſpectis, cuncti admirati conſtantiam viri, ſinceritatemque fidei, eum libenter obſequuti, ordine, quo ille proceſſerat, venerati ſunt Infantem Regem, pro cujus ſalute, imperioque ſe, pignora, fortunaſque omnes expoſituros jurejurando affirmant. Quare & a puero Rege humaniter amplexati, verbis ætatem decentibus, qualia Patruus, ne accerſita & aliena viderentur, ſuggeſſerat. Ipſe deinceps aſſurgens, excuſata prius adoleſcentis ætate, extollendo illorum fidem, virtuteſque numerando etiam . . . bono ut eſſent animo, & ſpe certa; Regem, & ſe bene memores tantæ devotionis, obſequiique Regali familiæ dignitatique præſtiti, reſponſuros brevi beneficiis, honoribuſque amplioribus, indubitato teneant.

Ecce Ferdinandi probitas, argumentum, bene, pieque facta non uſquequaque mercede, præmioque fraudari. Deſierant jam Celtiberis Aragonenſibus ſui priſci Reges, convenerantque *Porochia*,

chla, ut ipſi appellant, Plebs ſcilicet, Nobilitas, & Sacerdotii Præſules. Tribus enim iis corporibus omnis res agitur, eorumque viribus innititur, & parens dicto eſt. Cumque diutius agitatum eſſet, quemnam in Regem aſſumerent, nec convenirent; erat enim perdifficile a Concione varie affecta Principibus, de quibus ratio habebatur, rectam, & tempeſtivam ferri ſententiam de Rege. Inaniter autem diſceptando tempus terebant, maximo populorum diſcrimine; cujus rei cum votorum diverſitas modum non inveniret, viſum eſt rem paucioribus demandare. Quatuor enim in Regna, ſeu Principatus, Imperium illud omne dividitur. Placuit ergo de ſingulis quaternos eligi, quantum humana prudentia oſtendere valet, tantæ rei idoneos, qui Regem adoptarent, & quorum dicto reliquis ſtandum eſſet. Sexdecim igitur viri deſtinantur, moribus, ſanctitate, rerum experientia nobiles; & qualem Regem eſſe, qui bene conſulere ſibi creditis, & maxime non antea ſibi cognitis, apprime callerent. Ii injunctum munus ſummo ſtudio peragere nituntur juxta ſpem, fidemque de eo habitam. Erant enim magnarum Familiarum Principes, qui Regna illa Uxorum nomine ad ſe deveniſſe cauſabantur, quæ variis ex prædeceſſoribus Regibus natæ erant; quos inter & Ferdinandus erat, qui & ſimilis neceſſitudinis jura ſibi eſſe contendebat. Norant autem Sexdecim prudentiſſimi viri, Regem eſſe petendum Regia ex Familia, ne forte Populos novi hominis puderet Imperii, parereque dedignarentur: Geſtis præterea clarum, armis exercitum, moribus ſanctum, benignum, juſtitiæ & pacis amatorem, ſcelerum vindicem, & qui bello, armis, pace, jure, & æquo uti optime ſciret. Perluſtratis ergo curioſo examine omnibus, quiſnam eſſet iis dotibus præditus, ut eum optare Regem merito poſſent, unus Ferdinandus Caſtellæ Regni, Regiſque Tutor, Regali illa e domo viſus eſt, qui optatum exquiſitumque Regem magis referret. Igitur præteritis competitoribus Ferdinandum cooptant, virum etiam citra ſucceſſionis jura regnare dignum, ſuffragantibus meritis, & præcipue documento juſtitiæ & pietatis in fratris filium nuperrime edito. Quod facinus adeo gratum de eo exſtitit, ut etiam ad illius poſteros mercedes amplas transfundere voluerit. Siquidem Caſtellæ Regnum, quod ſibi Ferdinandus perfidia & ſcelere vendicare noluerat, cum facillime potuiſſet, Ferdinandum nepotem legitime, juſteque plures annos poſſediſſe vidimus conjugio Iſabellæ, cui deficientibus maribus regnare contigerat. Felicitatique ejus additum, quod ejus

uxo-

uxorisque fuerit Mauros Fidei hostes extremo Europæ angulo exegisse, totque post secula Granatæ Regnum, partem scilicet Bæticæ Provinciæ, vel præcipuam, ad Christi nomen, Hispanorumque ditionem petransisse conspicitur. Diximus Ferdinandum ex Castellæ bene gesta tutela, Aragonum Regem optato deveniisse, & coronam illam Salomonis dicentis, *Filii Regum, corona eorum*, eum merito decorasse. Sustulit autem ex uxore moribus sibi compari, cum qua una rem habuisse constans fama erat, liberos mares hos: Alphonsum illius Regni successorem, quem nostram hanc Siciliam sibi vindicasse vidimus, Principem, & si forte non omni, maxima tamen parte egregium: Johannem deinde, quem Navarræ Regnum connubio Reginæ assequutum, non citra tamen probitatis, virtutisque specimen tenendum est: Henricum tertio loco natum, Magistrum Militiæ, quam Divo Jacobo dicarunt in præsidium Provinciarum, ad arcendos, continendosque Mauros, ne a Granatæ finibus reliquam Hispaniam incursionibus, latrociniisque vexarent: ultimum Petrum, quem germanus Alphonsus expeditione Neapolitana subsidio simul, & solatio secum duxerat. Hic militari congressione, circa obsessæ Urbis mœnia tormento e propugnaculis emisso extinctus est. Habuit etiam . . . . . Portugalliæ Reginam; quos omnes moriens, superstites reliquit, nequaquam frustratus spe, quam de illis optimam præsumserat. Siquidem Alphonsus non contentus paterno sibi Regno jure devoluto, hanc nostram Siciliam addidit, Hispanorumque nomen pæne abolitum celebre in Italia reddidit. Johannes autem ex privato Regis filio Rex & ipse evasit. Henricus suum Magistratum constanter ad mortem detinuit. Petrus vero tot de se strenuitatis, probitatisque experimentis, nullo germanorum, etsi annis, non tamen gloria minorem se futurum ostendit.

Ferdinandi igitur vetustioris moribus, soboleque enarratis, operæ pretium videtur ad id, quod principaliter intendimus, redire, Principum scilicet, qui ex eo in nos regnarunt, successionis seriem ostendere, Vitam ac Historiam facundiori promtiorique ingenio relinquentes. Alphonsus igitur primus exstitit, qui nobis moderaturus accessit, & annos fere sexdecim pace plerumque fœcunda præfuit. Decessit autem Neapoli in Ovi Arce, morbo, quem Græci Gonhorream appellant, (est involuntaria seminis defluxio) quo sensim extabuerat, ætatis anno, ut fertur, climacterico, sexagesimo scilicet tertio, Redemtionis vero nostræ 1458.

ex quo Neapolim ceperat, XVI. Moriens hujus noſtræ Siciliæ Regnum Ferdinando filio notho, tamquam a ſe partum reliquerat. Fato ne, an prudentia evenerit, ut 38. annos (tot enim plus minus imperavit) homines, & pecora perpetuâ aeris ſalubritate, annonæque omnis copia adeo creverint, ut ſe, & Fiſcum apprime auxerit; quin & ſeditiones, motaque in eum bella ea felicitate ſedata ſunt, ut ad hoc ſuborta videri poſſent, ut eum ditiorem ſecilioremque redderent: qui res ejus geſtas noverint, exactius judicare poterunt. Coronam, Sceptrum, Pomum, reliquaque Regni inſignia a Pio II. Pontifice Maximo per Latinum Urſinum Cardinalem ad id delegatum Baroli ſuſcepit, ſalutis anno 1458. Obiit Neapoli anno 1494. vitæ vero 64. defluxu capitis ex Bajano rediens, quo venatum ierat. Corpus ingenti funeris pompa in D. Dominici ædem delatum, ibique oſſa plumbeo locello, purpura auro intexta cooperto, prope Altare maximum locata jacent. Filios complures genuit, hos tantum ſuperſtites reliquit, Alphonſum Calabriæ Ducem, qui ipſa obitus patris die Regnum infeliciter auſpicatus ex Arce nova prodiens Rex. Et hunc Alexander VI. Pontifex maximus legitime regnare voluit; utque clarius innoteſceret, Johannem Borgiam Cardinalem Montis Regalenſis ad eum delegavit, qui inſignia decreta, quæ a Sede Apoſtolica ſtabiliendis Regibus conferri ſolent, illi ſuo, Sediſque nomine contribueret: quod & peractum eſt Neapoli in æde maxima . . . . . Idus Maji ſalutis anno 1495. apparatu quidem ſplendidiſſimo, frequentia numeroſa, Nobilitate illuſtri: ſpectaculum certe omnino delectabile, magnificeque Regium. Inde ſacris expiatus precationibus, ſanctoque Chriſmate perunctus, Dalmaticatus proceſſit, Coronam illam paternam flammigerabilem, tum multiplicitate gemmarum, tum earum magnitudine & pretio, capite geſtans, dextera regale Sceptrum, læva auream Pilam. Sic pallium ſubiit, purpura auroque intextum, quod e Proceribus primarii ſubſtentabant, præcedentibus Principibus viris, quibus inſignia illa conceſſi Regni præferenda tradiderat, Sceptrum ſcilicet, Pilamque; Corona autem Dalmaticaque indutus ipſe remanſerat. Sic obequitans celebrioribus Urbis locis, ubique ſalutantes benigne humaneque allocutus, maxima hominum lætitia, frequentibus obviiſque acclamantibus, *Diu vivas Alphonſe, perpetuoque regnes Alphonſe*, in Arcem dum uſque pervenerit. Hic finis coronariæ pompæ, qua, & funere, quo Patrem extulerat, omnes ante noſtros Re-

ges ejusmodi superavit; & cum longe diversum sit, Regem esterri, & Regem coronari, utroque tamen sua magnificentia, & Regio apparatu perfunctus est, adeo ut neutri quid desuerit, paria nec patres nostri memoria teneant, nec nepotes sperent.

Non evagemur ulterius, nec commiseratio infelicis Principis nos distrahat; ne dum benefacta ejus, & specimen futuræ magnitudinis (si per suos licuisset) ostendere velim; ad quod destinavi serius accedam. Susceperat ergo, vivo patre, ex Hippolyta inclitii Francisci Sfortiæ Mediolanensium Ducis filia, Ferdinandum Capuæ ante Principem, quem mox inito Regno, Ducem Calabriæ dixit. Item Petrum, quem aliquandiu ante adeptum Regnum extulit, corpusque in Montis Oliveti æde poni voluit. Habuit & Isabellam, quæ Johanni Galeatio Mariæ patrueli suo nupsit, quam similiter iniquo parentis fato exsolutam Ducatu, hic Bari Ducem cernimus. Hos ex Hippolyta uxore, quam & ipsam defunctam vidit, & in Annunciatæ Templo regie sepeliri curavit. Vix enim regnare cœperat, cum desiit, siquidem non revoluto anno Ferdinando filio Calabriæ Duci Regnum tradere statuit, seque ad Hispanos vitam acturum cœlibem privatamque conserre. Revocato igitur ab exercitu, cui præerat, filio, Regium nomen, & omne quod in se erat, illi Neapoli tradidit. Secesserat interim in Ovi Arcem, cum primo Ferdinando filio, cui Regnum demandaverat, Urbem perredanti acclamatum est: *Vivat Ferdinandus Rex*, vocibus non adeo intentis & firmis, seu palpitantibus præcordiis ex imminentium malorum ostentis, seu memoria recentis infaustæque nuperrimæ precationis patri exhibitæ. Igitur successore dicto, dispositisque pro statu temporum rebus, suum iter aggreditur comitatu, quem sibi ex sanctis Professionibus elegerat, religioso & probato in Siciliam devenit, ubi in mortem usque hæsit. Cur non ulterius perrexerit, utpote rem mihi incertam & dubiam subticeo. Dicant, qui norunt; quando mihi statutum est, res quemadmodum præsentes vulgò novi, ita futuris noscendas transmittere. Me Tanæ demum (quod clare liquet) diem obiit, ubi maximo a Civibus funeris honore prosecutus; parique reverentia ossa servanda curarunt. Cum de abdicatione sui Regni, ejusdemque tam repentino discessu, varia varii commententur; unum tantum, quod publicitus ferebatur, in medium producere libeat; scilicet ut ferinam rabiem, quam & ad sui, Regnique internecionem processuram cerneret, in se, quem causabantur, exarmaret, filiumque loco, & natura . . . . & Reges sibi

dederant, relinqueret. Ferdinandus igitur cognomine Secundus Regiorum munerum usu ante patris discessum abstinuit. Mox matrimonium cum Johanna Ferdinandi Avi filia, quam ex Johanna uxorum altera susceperat, iniit, & rebus, quæ per se suasque vires agi possent, non deerat. Sed tam numeroso validoque imminente Gallorum exercitu, crescenteque subinde ampliori bus copiis, destituto omni auxilio, & spe desolato, de cedendo cogitandum supererat. Nihilominus ad Capuanæ usque direptionis vastitatem nihil eorum, quæ ad sui, Regnique tutelam pro viribus parari poterant, omisit. Capua ergo amissa, veluti deploratis rebus, qui de conditionibus cum Gallo agerent, misit; qui cum re infecta rediissent, Ænariam, modo Ischiam, secedere statuit. In colligendo res asportandas, a Germanis, quos Arci novæ præsidio relinquebat, se coram diripi, expilarique videns, destinato celerius ire compulsus est, comitantibus nonnullis suarum partium viris, qui ei usquequaque fideliter constanterque adsuere. Brevi post Ischia in Siciliam transmisit, ubi per aliquot menses fuit. Neapolim reversus, maxima Civium caritate admissus fuit Nonis Julii anni 1495.: abierat enim hostis Carolus Francorum Rex: eam a suis pessime habitam relinquens.

Adfuit Ferdinando mox Federicus patruus, remque communi sententia agere cœperunt. Post multos tandem exantlatos labores, hostes exutos armis datis conditionibus emisit. Ipse assiduitate laborum, & curarum gravem in morbum incidit, quem armatus, inermis, nocu interdiuque solem, imbres, ne opportunitatem victoriæ amitteret, ferendo hauserat, adeo ut remedia medicaminaque cuncta pertinacia valetudinis respuerit, sensimque extabescens semivivus Neapolim delatus, ibi postridie moritur vitæ anno . . Corpus nocu exequiis modicis in ædem Divi Dominici elatum juxta loculum Ferdinandi Avi. Liberorum nil prorsus reliquit, Regnum Federico patruo delegaverat. Obsidebat tunc Federicus Cajetam, unde revertens Neapolim, auspicaturus Regnum, adiit, quam & mœstam & luctuosam recenti Ferdinandi morte, præsentia tamen, & spes de illo præsumta aliquantulum elevavit. Genuerat autem Federicus ex Isabella Baucia vivo Ferdinando patre filium, cui avitum nomen indiderat Ferdinandi, quem mox, inito Regno, Ducatu Calabriæ honestavit; est enim regnandi prærogativa. Tulerat jam Rex alios duos; alterum Alphonsum nominavit, instaurans germani nomen, alterum vero Cæsarem. Et hunc, Federicum scilicet, Regem haberi, co-

ro-

tonari, dicique voluit Alexander VI. Pontifex Maximus. Capuæ frequenti Regnicolarum conventu Coronaria pompa celebrata eſt Præſecto Cæſare Borgia Cardinale, & Pontificis Legato, & tunc affini, & ut exitus probavit, animo & fide, qua Alphonſum nuper inſigniri curaverat. Quandoquidem illum Cæſarem Borgiam, quem modo Legatum, Pontificiſque tantummodo neceſſarium, galero Cardinalatus inſignitum, ſacra dantem, & Samuelis Prophetæ vice Reges ungentem vidimus: ecce profanus, maritus, Pontificiſque filius, militum Dux, ſæviſſimus Tyrannus, Sacrorum expilator, repente prodiit; & quem Præſulem ad firmandum Regem Pontifex miſerat, eumdem filium latronum Ducem ad perdendum redire voluit. Hic Dux ille Valentinus, quem capi Neapoli vidimus, captumque ad Regem mitti, ibique in cuſtodia habitum, ex qua fugiens, ignobili quodam in certamine ſeu velitatione occiſum audivimus.

Federicus igitur Rex poſt acceptam Coronam præfuit Regno annos quatuor plus minus, anxius ſemper & ſuſpectus, futura præſagiens. Videbat enim rem undique ſuam inviſam, & actu ſubdole evertendam; & quamvis diutius ceteris Ferdinando ſuccedentibus Regnum detinuerit, numquam tamen integrum ei fuit peragere, quæ optaſſet, undique terrentibus minis. Tandem prodierunt occulta conſilia, & diu ad illum perdendum excogitata, & quidem talium, qui non modo Federicum nemini eorum viribus parem, ſed Orbem reliquum labefactare valuiſſent. Quod tanta ſilentii cura, & ne præſciretur, cautione actum eſt, ut maximos Principes, & hujuſmodi officii inſolitos, non piguerit per ſe literas dare, & accipere in ſocios a ſecretis, & ab epiſtolis, adeo ut prius hoſtes haberi, quam audiri maluerint. Fines ergo Regni devaſtantes ingreſſi. Federicus interim modo, quo poterat, munitionibus militeque ſe tutari parabat. Sed cum hoſtis Capuam uſque deveniſſet, eamque inaniter diripuiſſet; alio ex Regni latere hoſtilis claſſis Provinciam Calabriam ad ſe traheret, omni ſpe auxilii amiſſa, ad Gallorum Ducem, qui de conditionibus agerent, miſit; & qualibuſcumque datis, ſubire neceſſarium ducens, Iſchiam cum omni familia, & re ſeceſſit, comitantibus illum pleriſque nobilioribus, qui relicta domo ceteriſque ſuis, eamdem ſubituri erant fortunam, quam ipſe Rex ſubiiſſet. Tradiderat enim Arcem, Urbemque conceſſerat, ut ſibi quo vellet ire, per Gallos liceret. Subſtitit aliquantiſper, dum res pro conditione componeret. Inde ſuis triremibus ad Gallorum

Re-

Regem, quem jam præelegerat, venire contendit, a quo ut victus acceptus est. E Fisco tamen annuum victum ei statuit, neutro tamen dignum, si illius opes, si hujus necessitatem spectes. Evocavit porro ad se uxorem, & liberos, quos Ænariæ reliquerat, unaque secum in mortem habuit, Ferdinando Primogenito Calabriæ Duce in Hispaniis detento, quo Hispanorum Dux, cui se tradiderat, e Tarento transmiserat, ubi in Aula Regis adhuc visitur. In Galliis degens Federicus, cum rem suam & spem quotidie in pejus labi, & minui cerneret, nimiis & æque tristibus curis ægrescere cœpit, utque aiunt, raro domo egrediebatur: valetudine ne detentus, an Regium ejusque frequentiam vitans, incertum est. Tandem cum macerrimus devenisset, molestiis & angoribus atterentibus vires, febre extinctus est Turoni, superstitibus liberis Alphonso, duobusque Infantulis, quos circa se morientis vidit. Ferdinandum vero Primogenitum Calabriæ Ducem, præcipuam morientis sollicitudinem fuisse tradunt. Cum illum in Hispania esse cognosceret, de conditione præsenti dolebat, & futuræ ejus metuebat. Quod non infimam suæ infelicitatis partem existimaris, & crebris altisque suspiriis filium appellans, & quod non saltem moriens alloqui licuisset, querendo defecit.

Devenimus ad tristem infelicemque Alphonsi I. successorum exitum, quorum Regnum subversum vidimus, quin & partem maximam prolis suum obiisse diem, aut coram vidimus, aut audivimus. Ferdinandus Federici Regis primogenitus, quem Calabriæ Ducem pater voluerat, penes Ferdinandum Aragonum Regem; modoque etiam nostrum, Hispaniæque Rectorem, degit, ejusque mercede pæne liber victitat. Alphonsum, & Cæsarem, duasque semellas cum eorum matre hospitalitate Antoniæ Bauciæ eorum materteræ in Mantuano vitam, quæ eis præbetur, vivere intelligimus. Videmus etiam hic Isabellam Bari nunc Ducem, Mediolani quondam, Alphonsi Regis II. filiam. Hæc omnis Alphonsi I. legitima exstitit progenies. Ferdinandus autem, ut diximus, Aragonum Rex, & nunc noster, etsi Aragonius, non tamen ex Alphonsi I. linea, sed nepos ex fratre Johanne Navarræ Rege, extat. Et hunc post Isabellæ Reginæ obitum, cujus consortio illis regnaverat, ad nos devenisse vidimus, ubi Regio apparatu, ingentique pompa, effusa Civitate, omni alacritate & plausu optatissimus admissus est. Sed tam brevi hic moratus est, ut paucissimis se noscendum præbuerit, adeo ut plerique ne faciem quidem viderint, præfestinato ad Hispanias reditu.

tu. Non enim ſeptimo expleto menſe Neapoli degit. Interque redeundum, Savonæ a Gallorum Rege ibi eum opperiente biduo Regali liberalitate fraterne detentus, inde ſecunda navigatione ad Hiſpanias pervenit, modo Caſtellæ, reliquorumque Regnorum, & Iſabellæ filiæ Reginæ tutelam gerere pacate videtur.

NO.

NOBILITATIS NEAPOLITANÆ DEFENSIO

TRISTANI CARACCIOLI.

QUanta juſtitiæ, integritatiſque tuæ apud me fuerit non opinio, ſed fides, cum te Arbitrum circumſpectiſſimum, æquiſſimumque Judicem te ipſum elegerim, facile potes cognoſcere, ut merito ſperem, te non ſolum ſemiconceptæ opinioni ceſſurum, verum etiam pro tua æquitate noſtris partibus adſuturum. Nuper enim cum apud te eſſem, mecumque nonnulla familiariter diſſerens, remiſſa aliquantulum ſeveritate Legationis, qua fungebaris, poſt multos varioſque ſermones deveniſti ad laudes noſtræ hujus Patriæ, quam magnifice extollens tibi omni ex parte placere affirmabas; tantumque in ea te deſiderare ſolertiam & induſtriam Nobilium, ſeu gentilium Civium, quos cernere erat quotidie otioſos, & ludibundos in Conſeſſoriis, & ut patrio utar verbo, Sedilibus inaniter tempus terere. Quod idem cum paucis ante diebus ex te audiſſem, veluti ſi inter loquendum excidiſſet, conſulto inoffenſum præterii. Sed poſtquam iterum accuratius abs te repetitum animadverti, veritus ne candidum judicium tuum vana quædam obumbraret opinio, altiuſque in animum deſcenderet, falſum tradi a pleriſque conabor oſtendere; fretuſque bonitate cauſſæ, obtrectationibus etiam ſatisfacere, nedum tibi præcipue amatori.

Neapolitanam igitum Nobilitatem pervetuſtam exiſtimari, nemo eſt, qui neſciat, adeo ut in toto pæne terrarum Orbe peculiariter Neapolitana Gentilitas dicatur, eamque eſſe reor, quæ a M. Tullio in Topicis definitur. Unde hanc Gentilitatem, vel ſi libet, Nobilitatem, citra virtutum, fortunarumque copiam conſtare non poſſe, experimento docemur. Videmus itaque Nobilitatem

tem hanc utrisque commodis in primis abundasse, nec hodie adeo malis attritam, ut Italicarum Civitatum alicui cedat, sive in amplissimorum censuum, anniversariorumque reddituum proventibus, sive in Magistratibus, & Officiis insignibus. Hæc autem otio parta esse, atque inertia subinde conservata, stultum esset credere, standumque potius argumento tamdiu firmato, sic majores illos nostros virtute sibi dignitates parasse, ut eas animorum corporumque præstantia nepotibus tradiderint, eademque vivendi observantia ad nos usque derivata permanserint, quæ nec pestilentia, nec direptionibus, aut malorum Principum diritate intercidi, nedum aboleri potuerint. Sed ne tam breviter, succincteque dixisse, etiam rei fidem levet, recensebimus, quibus artibus parentes illi, majoresque nostri nominis claritatem, rerumque affluentiam sibi paraverint, idemque facere posteros docuerint. Profecto nec munia, nec exercitationes ullæ exstant liberis hominibus dignæ, quas non egregie exercuerint, nepotibusque velut hereditarias eodem studio obeundas reliquerint. Quam quidem viam Nobilitas hæc sectando, nomen, & rem auxisse cognoscitur, Sacros Pontifices, optimosque Principes omni labore industriaque demerendo, utque illorum gratiam inirent, non fortunis, non labori, non ipsi denique vitæ pepercisse. A sacris igitur, & ab ipsa Religione, ut Christianos decet, initium faciamus.

Summum Pontificatum certe nemo diu tenuit, cui non ex nostris plures adstiterint; facerque ille Cardinalium Senatus, raro umquam citra Neapolitanum aliquem, qui non fuerit in illum ordinem cooptatus, coactus est. Testantur hoc apud nos Sacella, in quibus pendere visuntur pilei illius insignia. Unde non paucos ex his ad Summum Pontificatum evectos merito credi potest, cum patrum memoria Urbanum, Bonifacium, Johannem, ex equestri omnes Familia, in eo gradu collocatos, atque e pluribus nostrorum Cardinalium electos fuisse legamus. Alias vero dignitates, utpote Archiepiscopatus, Episcopatus, Abbatias, nonne & nostros Theologiæ professione, Juris scientia, rerum agendarum solertia, negotiorum experientia insignes, Sacra ipsa Romana Sedes merito per totum Christianum Orbem potiri voluit? Præcipue tamen Regni hujus Sacerdotia ad eosdem, velut hereditaria deferuntur. Quid de illo Fratrum Hierosolymitani cognominis contubernio, Christianæ Fidei hostibus semper objecto, Rhodi commorantium, dixerim, in quo nostri præcipue milites perpetuo conspiciuntur? Quin etiam Magistrum illum, & mo-

deratorem ex Neapolitanis Equitibus aliquem Religiosa illa societas quandoque sortita est; & nos ipsi nuper vidimus, cum Mahometus Turcarum Princeps Rhodianam Civitatem tam numeroso premeret exercitu, exitiumque & Præsuli, & propugnatoribus ad internecionem minitaretur, multos illius Ordinis ex nostris illuc advolasse, velut aves ad arcendum a nido pullisque pestem, secumque & commeatus, & præsidium privato ære paratis navibus advenisse. Quorum non pauci in ipsa obsidione, oppugnationeque viriliter occubuere. Nam etsi tam emeritæ militiæ legitimam vacationem jam impetraverant, maluerunt honestam subire mortem, quam domi, cum possent, sine nota supervivere. Non ab re hic quoque subscripserim, quod narrantes sæpe seniores audiverim, suorum nonnullos, majorum vero non paucos cum Fratribus quibusdam militasse, quibus Prussiensium erat nomen. Tutabantur enim Histri fluminis ripam, ne forte Christi hostes populabundi in Pannoniam, reliquasque Christianorum Provincias transgrederentur. Hæc dicta sufficiant, ut nosci possit, hanc nostram Nobilitatem non ignavo otio studuisse, cum non piguerit, tam procul a patria, posthabita familiæ caritate, tot discrimina pro Christi Salvatoris nomine, & pro gloria virtutis adire. Utque nullum officii genus prætermissum intelligatur de Sacra nostra Fide benemerendi, mentemque in sanctis disciplinis exercendi, multos cucullatos videre licet in quavis Sanctæ professionis Societate, quorum plurimos morum, ac vitæ sanctitas in Abbates evexit. Plerique vero eorum, qui Observantes dicuntur, eam divinarum Literarum scientiam assecuti sunt, ut Sermones ad populum pro communi salute Catholice, efficaciterque edere & habere voluerint, nec minus in expiando noxios, qui se reos faterentur, prudentissime discreverint.

Militiæ tamen præcipue exercitamenta fuere, quæ majores nostri præ ceteris ad nomen & rem augendam sectati sunt; quoniam & animorum fortitudine, & corporum patientia labores omnes pro honestate tolerare statuerunt, viasque laboris & discriminis plenas usque adeo avide perquisiverunt, ut raro confecti sint exercitus, in quibus nostri nomina non dederint. Testis opulentissima vestra illa, & inclyta Respublica esse potest, quæ perpetuos milites ad sui, multorumque præsidium alere non cessat, cum multi e nostris apud se stipendia faciant, non modo milites, verum etiam turmarum ductores, insuper & Præfecti, quos grata munificentia, ob benemerita fideliaque opera, honoribus semper auxit, quotidieque auget. Hujus rei fidem nobis faciunt eme-

emeriti ad nos redeuntes, quos cernimus præmiis & dignitatibus honeſtatos, militiæ veſtræ decus extollentes, noſtriſque tyronibus, ut ſub veſtris auſpiciis mereant, ſuadentes. Nonne etiam in Mediolanenſium Ducum Aula, & exercitu, Neapolitani milites egregie ſpectantur? Quid de Eſtenſium Marchionum dicam contubernio, ubi noſtrorum plurimos videbis commorantes? Quid apud Gonzagas, & Malateſtas, cæteroſque in Italia Regulos? Nonne egregias Neapolitanos navaſſe operas cognoſces? Adeo ut cum everſiones magnæ alicujus Italicæ Familiæ intelligimus, triſtes, quaſi calamitatis participes, illam deplorare cogamur, velut amiſſum Nobilitatis noſtræ ſubſidium, campumque exercendæ virtutis, & induſtriæ. Quid Florentinorum ille libertatis amator Populus, qui etſi non perpetuo conductum militem habet, tempeſtivum tamen parare pro occaſione non ceſſat? Et hic noſtros in primis habere, eiſque honores & præmia maxima cum ſpe deferre dignoſcitur. Quid? quod clauſtra Italiæ anguſta animis noſtrorum viſa ſunt, quos non piguerit Alpes tranſcendere, nequaquam ad delicias, ſed ad pericula, bellorumque diſcrimina ſubeunda, utpote qui barbarorum ſe furoribus interſerere, & objicere non formidaverint. Et ut antiquiora omittam, in bello, quod ſuperioribus annis Carolus, Burgundiæ Dux exitialiter geſſit, Civitatemque hoſtilem arctiſſima obſidione preſſit, Neapolitanorum virtus equitum præcipue enituit. Cogitabat Princeps Inſulam, quam Rhenus amnis efficit, per vim hoſtibus eripere; ex illa enim & militare ſubſidium, & commeatus in Oppidum invehebatur, quæ niſi capta fuiſſet, vana & inefficax futura videbatur obſidio. Hoc facinus, etſi difficultatis atque diſcriminis multum habere videbatur, noſtri tamen ad ipſum ſe exponere, & locum aggredi auſi ſunt. Quare a Principe conceſſam rem viriliter navare adorti, (erat enim navibus ad deſtinatum locum tranſmittendum) quamvis in ipſo trajectu tormentis pluriſariam ab Inſula impeterentur, nihilominus ad Inſulam devenerunt, non paucis perfoſſis navibus, militibuſque vulneratis. Tunc nulla interpoſita mora eorum Præfectus (erat enim vir ſtrenuus, & pluribus facinoribus clarus) ſuos ad munimenta hoſtium diripienda, animumque tentandum, impigre, incunctanterque duxit. Ibi aliquandiu, atrociterque pugnatum utrinque, & occiſi quamplurimi, & vulnerati. Sed cum ab Oppidanis his, qui Inſulam tutabantur, ſubinde ſubſidium, & tela ſubminiſtrarentur; noſtrique, quoniam flumine ab exercitu diſjungebantur, nullum inde ſubſidium expectarent, ingruente tandem tormentorum & hoſtium

vi, cedere coacti sunt. Hi tamen tanta constantia, tanta ostentatæ fortitudinis specie ad naves se recepere, ut hostes, quamvis longe plures numero essent, nemo tamen munitionibus egredi, nec terga tam paucorum se recipientium insequi ausi sint. Atque ita cum summa sui admiratione ad Ducem rediere; quibus mirifice collaudatis, quod non successerit, locorum iniquitati, ac hostium multitudini adscribendum esse censuit; audaciam vero tam arduï aggressus, tamque moderati receptus, cautionem virtutis atque prudentiæ fuisse. Quin etiam cum ad obsidionem solvendam, Oppidanosque tanto discrimine liberandos, Imperator maximis Germaniæ viribus suppetiam veniisset; Dux autem ipse, ne Oppido appropinquaret hostis, obviam procederet dimicandi facta potestate: primi Itali hostem lacessere; alacriterque in illos conversi, tam terrifici nominis viros hastis, gladiisque impetivere, quorum prima acies Neapolitanorum insignis exstitit, adeoque suam navarunt operam, ut sibi ipsis honori fuerint, & reliquis ad victoriam incitamento. Quorum nomina ex industria subticeo, non ut gloriam fraudem, sed cum multi fuerint, qui pari gloria se strenue gesserint, ne si qui forte exciderint, velut silentio præteriti, conqueri possint; jundimque recensere perquam difficile sit, paucorum tamen, aut etiam unius, justa hæc querela esse posset. Ea denique fide hoc in bello, eaque virtute stipendia fecere, ut Dux ille maximus Italos milites donariis insignibus, variisque præmiis auctoratos, ac reliquis bellis, quæ ad mortem usque gessit secum habere studuerit, habuitque citra omnem pœnitudinem. Quippe Dux duobus prœliis, quibus infeliciter decertavit, alteroque etiam occubuit, neutrum sine nostrorum cæde peractum est. Qui vero post Ducis interitum, profligatasque copias superfuerunt, a Francorum Rege curiose perquisiti, donisque amplioribus, stipendioque auci, inter suorum primos habiti sunt. Quibus etiam ducatum sui exercitus demandavit, ita ut præclaræ illius victoriæ de Britonibus habitæ auctorem e nostris exstitisse, fama fuerit; quippe nostrates belli experientia probatos, non tantum illi prœlio interesse voluit, sed etiam prælidere. Ex nostris insuper inter Regni sui Pares esse constituit, deque Principum Gallicorum capitibus ferre sententias. Quamvis enim nominatim me quemquam prodere nolle meminerim, tamen ob facinorum claritatem, adstantiumque multitudinem ex toto Christiano Orbe, ea tempestate Gallorum Regibus, & gesta, & eorum, qui gesserunt, nomina pluribus nationibus cognita, & clara habita pro comperto scimus.

Gu-

Guſtaſſe hæc pauca trans Alpes ex multis, quæ foris noſtri Equites geſſere, cum ſatis eſſe putemus, par eſſe credimus, quales domi ſe præſtare ſoliti ſunt, oſtendere. Quare neque deſidioſi, neque inerti otio marcire cognoſcentur, ut maledici nonnulli noſtrorum inſtitutorum inſcii obloquuntur. Spectentur ergo monumenta, quæ ſacris noſtris ædibus continentur. Cognoſcetur profecto, aut neminem apud nos, aut paucos omnino regnaſſe, quibus non ex hac noſtra Nobilitate comites expeditionum, invaſionumque ſocii peculiares adſuerint, illoſque Regiæ perſonæ inſignia geſtare voluerint, eademque facinora ſecum tractare, eodem voto adſtringi, beneque actæ rei iiſdem præmiis impartiri permiſerint. Diſcernuntur hæc in multorum tumulis, & ſtragulis auro ſericoque diſtinctis, pendentibus ſupra ſepulta cadavera, in quibus, dum efferrentur, fuerunt ornamento, demumque memoriæ ſervatis. Porro, quod nos ipſi vidimus noſtra patrumque memoria, etſi alienigenæ apud nos regnaverint, Principatuſque aſſecuti ſint, neminem tamen illorum extitiſſe, cujus Aulam, & exercitum honeſtiſſimo quoque miniſterio aut officio noſtri non expleverint, ut etiam filios, vel hic genitos, vel huc forte infantes adductos, per Neapolitanos Equites educari voluerint, qui teneritudinem illorum ſtabilirent, lubricamque adoleſcentiam ſiſterent; poſthabitiſque ſuis conterraneis, Neapolitanos eſſe maluerint, qui eorum liberos noſtræ Fidei præcepta atque miniſteria docerent; quique etiam honeſte ſaltare, canere, equos impigre quaquaverſum agere, optime equitare, omni inſuper armorum genere agiliter ludere Regios juvenes erudirent. Admittere vero Principum, Populorumque Legatos, poſtulata audire, reſponſionesque ex tempore (ſi res poſceret) reddere in parentum abſentia, omni ſervata majeſtate, noſtri Cives etiam docuere. Adultis jam, & Principalia munera obeuntibus, quinam eorum curam tutelamque, niſi noſtri ſuſcipere ſoliti ſunt? Hi intra cubicula ſecretiora dormientibus Principibus excubant, ſurgentibus præſto adſunt, veſtes, calcearia promtiſſime admiſtrantes, utque ſuos Principes veneficiis tutos præſtent, præguſtatores, ſertores, pollicitatores tanta diligentia & caritate ſe exhibent, ut Principis ſalutem ſuo mercari periculo non dubitent. Hæc itaque officia, cum Juventus, viridiorque ætas Principibus tribuat, non deſunt tamen graviores ætatis viri, quorum auctoritate majora magiſque ardua dirigantur, utpote Juſtitiæ diſtributio, rerum agendarum conſilium, cautioque, ne quid inexpedati mali inopinatique ſubſequatur. Militiæ bellique ordo, opportuna, ſtipendia, veſtiſque militibus

tibus provisa, hæc maxima ex parte per nostros agi continuo noscuntur. Vides etiam Regium Consilium Præside, Consultoribusque Neapolitanis moderatum, vallatumque egregiis patronis, privatorum causas tuentibus. Et ne forte partem hanc ingenui laboris ab his relictam putes, fere Advocati omnes nonnisi Nobiles admittuntur. Hujusmodi igitur moribus non modo obsequia, securitatemque Principibus hæc nostra Nobilitas præstat, verum etiam auctoritatem & reverentiam apud exteros parit. Norunt enim, hujusmodi cum Regibus viros degere, eorumque res tractare, qui nullo decentius Regiam ministeriis ornant, & qui bello pacique opportuna optime calleant, ut bellorum præludia quotidie meditari, venationes intrepide obire, cantus saltationesque ad resumendas vires, ut vegetiores ad virilia munera redeant, concinneque citra lasciviam modulari. Talia igitur qui intelligunt, Principibus adscribunt, tanquam institutoribus tantæ Alumnorum disciplinæ: unde & suspici ab omnibus, & venerari solent. Hinc etiam emanasse credi potest, ut cum totius inter Superum Inferumque Mare Regni hujus Rex sit, Neapolitanorum tantummodo a plerisque dicatur, spectantibus, ut opinor, mutuam caritatem, quæ raro in tam dispari hominum conditione esse consuevit. Intelligunt enim, Regi nostro non opus esse conductis, aut accersitis aliunde Ministris, cum domi habeat fidos exercitosque viros, qui quantumvis arduum laboriosumque negotium attententur, expedire audeant, & possint. Quin etiam hinc nactos occasionem nostros Principes crediderim, ut crebras inierint expeditiones, dum validam nec minus firmam manum facile, parvoque ære comparare possint, qua non modo fines suos tutari, hostemque procul detinere, verum etiam se ipsis locupletiores bello lacessere, insolentioresque damno & ignominia afficere, Profecto, postquam videris Regiam omnem hujusmodi hominum genere refertam, exercitus vero militibus, ductoribus, necessariarumque rerum curatoribus constare; Judicia, tranquillitatemque a nostris Equitibus æquo jure servari; juraque sanctissime reddi; cassas tanta diligentia ac fide agi; in aliis Regni Civitatibus, Procerumque, & Baronum Oppidis jura dicere; profecto neque inertia, neque desidia nostram Nobilitatem abs te dominatum iri puto, quam tot sacris profanisque Militiæ, Togæque rebus tam assidue vacasse, omnique constantia insudasse cognoveris, suumque ad usque nostri sermonis ignaros nomen claris facinoribus propagasse. Nullas denique reor excogitari posse vias, quibus ingenium, se, suasque fortunas augere possent, quas non sagaciter nostri per-

Digitized by Google

perquiſiverint, conſtanterque tenuerint. Mercaturæ autem quod minime animum intenderint, recte ne factum ſit, omittamus. Res eſt diu inter mortales diſquiſita maximis utrinque argumentis; ſed ſunt ſui cuique Patriæ mores non improbandi. Magnos certe quæſtus ex Principum obſequiis, quæ noſtra mercatura eſt, percipere ſolebamus; atque utinam illam diu exercere poſſimus, ſiliiſque exercendam relinquere. Hanc vero importandarum exportandarumque mercium rationem Nobiles noſtri honeſtis quidem Civibus, non ſui tamen Ordinis, reliquerunt, per quos fideliter liberaliterque tractatur, ut pars etiam hæc Civitati noſtræ non deeſſe noſcatur.

Ceterum ſpectari multos in Conſeſſoriis etiam ludentes non inficior; ſed minime turpi otio, aut avaritiæ adſcribendum puto; quin potius deſeſſis animis ob curas atque labores merito concedendum. Adde, ne ſi forte per itinera neceſſaria in aliquem locum devenirent, ubi ingenue luderetur, idemque, ut facerent rogati, ignorantia cauſaretur, ſe inurbanos ruſticoſque dici injuria erubeſcerent, cum honeſte ludere pars ſit civilitatis. Nec loca hæc noſtra fomenta inertiæ, deſidiæque haberi volo. Quin immo emeritorum Senatulum honeſtiſſimum, in quo domi militiæque Magiſtratibus egregie perfuncti, ſua, aliorumque decora recenſentes, Principum, & Nationum mores, vias, atque artes, quibus varias per regiones parari gloria poſſit, Juventutem docentes, exemplorum ſtimulis inſtigant, æmularique audita cogunt. Longe plura dici poſſent, quæ arguerent, Nobilitatem Neapolitanam genuiſſe, ſubmiſiſſe, hactenuſque ſervaſſe laborem & induſtriam, non otium & inertiam, ſedendo aut oſcitando, ut quidam etiam auſus eſt ſcribere, cujus ne manes exagitem, (deceſſit enim jam pridem) nomen ſupprimo. Unum eſt, quod non poſſum non ſtomachari, quando ſcribere non erubuit, ſibi videri ſuam Gentem rectius quam noſtram de Nobilitate ſentire, cum ſui Cives maxima ex parte lucriones, vilibus etiam mercibus quæſtus faciant, fœnuſque, utpote rem honeſtam, paſſim, & impudenter exerceant, omneque prorſus virile officium, legitimumque laborem averſentur.

Dicis forſitan: adeo ne munda, & abſtinens fuit iſthæc veſtra Nobilitas, ut non aliquando facinoroſos ediderit? Profecto minime iſtud aſſerere auſim, memorque præcipue delationis quorumdam, quam mecum expoſtulaſti, obtellatus prius, ut penes me continerem, neminique deferrem. Reſpondi (rem tamen utriuſque noſtrum auribus non inſolitam, tametſi moleſtam & ingratam auditu) & fures & plagiarios non ſolum, de quibus præ-

ſens

ſens habebatur ſermo, ſed ſimilibus, & longe fœdioribus ſceleribus deturpatos in noſtra Gentilitate ſubinde extitiſſe, quorum non modo mores & vitam deteſtamur, ſed etiam nomina oblivione delemus. Eorum tamen nequitia nequaquam reliquos fœdari ſolere, tu ipſe optimus Arbiter eſſe dignoſceris. Nam ſi Nobilitas aliqua eſt, quæ ſanctis probatiſque moribus vivat, veſtram eſſe fatendum eſt. In ea tamen aliquos patet flagitioſe, ſcelerateque, neque ſecundum majorum inſtituta vixiſſe, nec hodie, ut verisimiliter credi poteſt, etiam vivere. Nam etſi veſtri Magiſtratus omni conatu prudentiaque ſatagere non ceſſant, ex tam bene culto agro damnoſas peſtilenteſque plantas evellere, reliquorumque famam omni animadverſionis ſilentio cuſtodire: non tamen cavere poſſunt, quin vitæ exitus nonnullorum malefactis digni perſpiciantur, cum in carceribus ſtrangulari, fluctibus obrui, & id genus extingui eos mandent. Non ergo mirum videri debet in tanta hominum copia, ſi qui ſint perverſe impieque viventes; probi etenim numero, honeſtiſque moribus illos profecto obruunt, quibus etiam, ne nominentur, præſtant; eademque pars eorum inter ingenuos, quaſi parum fæcis in arca capaciſſima eſſe ſolet.

Stemus igitur experientiæ, qua nihil certius fideliuſque haberi poteſt. Novimus enim ex primis monumentis, quam rara, aut nulla fuerit ſocietas ex omni parte ſincera. Societatem cum dixi, familiam, domum, cœtulum quemcumque intelligi etiam volo. Solari nos tamen poteſt in hac parte ſummi cujuſdam Pontificis reſponſio, apud quem cum anxie quidam ejus gentilis quereretur, quamdam ex cognatione mulierem nimis impudice vivere non ſine magno familiæ dedecore: *Noli*, inquit, *mi fili, propterea triſtari; ſed potius boni conſule. Væ enim Familiæ illi, cui non ſunt viri aliqui perditi, feminæque vitioſæ:* quaſi humilitatem damnans, ac gentilium paucitatem. Habes ergo, quæ ſcribere ad te caritas Patriæ me compulit, quæ quidem verecundiam & timorem ineruditionis & inſcitiæ exegit, urgens etiam ad te talem virum hæc delegare, cui veritas major, quam verborum cura eſt. Tu vero pro judicii tui rectitudine bona illa cenſebis, quæ ad optimum miſſa ſunt; & quod mihi ipſe perſuaſi, benigne fac præſtes, ut ſi quando in oblatratores laceratoreſque Neapolitanæ Gentilitatis incideris, offulis prudentiæ facundiæque tuæ fauces illorum obſtruas, oraque occludas. Erit tibi profecto nobiliſſimo, Nobiles tutari, ingenitum decus, talemque ordinem patrocinio obnoxium tibi reddere. Mei tamen, cujus in te amori nil addi poteſt, memor ſis, inque tuos non poſtremos adſcribas.

F I N I S.

Digitized by Google

INDEX

RERUM NOTABILIUM,

Quæ in hoc Opere continentur.

A

Alexander VI. Papa infensus Federico Regi Neapolitano. 89.
Alphonsi I. Aragonum Regis varia fortuna. 83.
Alphonsus I. Aragonum, & postea Neapolis Rex a Johanna II. Regina Neapolis accitus. 32.
Eam in arce obsidet. 34.
Fractus ejus exercitus a Sforzia. 36.
Et erepta Neapolis. 38.
Ejus progenies. 145.
Alphonsus II. Rex Neapolis. 51.
Regnum Ferdinando II. filio relinquit. 52.
Ejus infelices casus. 88. 146.
Andreas Caroli Hungariæ Regis filius Johannam I. Neapolis Reginam uxorem ducit. 11.
A conjuratis interfectus. 13.
Ejus mortis conscia uxor. 18. 136.
Angeli Comitis Campibassi fortuna. 105.
Antonelli Petruccii qualis fortuna in Regno Neapolitano. 109.
Antonii Cenciliæ Catanzarii Comitis fortuna varia. 102.
Antonius Caudola Dux Bari; ejus fortuna. 102.
Aquinatum Comitum prosapia deleta. 99.
Aragonenses in Regem expetunt Ferdinandum Alphonsi I. Regis patrem. 143.
Arenæ Comites in Regno Neapolitano. 101.

B

Baptistæ Caraccioli fortuna varia in Regno Neapolitano. 103.
Bartholomæus Caracciolus Scriptor Historiæ Neapolitanæ. 5.

C

Campanillæ gentis qualis fortuna in Regno Neapolitano. 107.
Camponissa gens eversa in Regno Neapolitano. 101.
Cantelma gens e Ducatu Soræ dejecta. *ibi*.
Caracciolæ gentis antiqua nobilitas. 1.
Num in eadem Carrafa prodierit. 5.

Digitized by Google

Sergiani Caraccioli vita. 217.
Carolus V. Hispaniæ Rex in Hispaniam navigare instituit. 78.
Ingenti cum discrimine illuc appellit. 79.
Carolus VIII. Gallorum Rex, Neapolitanum Regnum sibi comparandum statuit. 51.
Quo potitur. 52.
Fractus in reditu ad Galliam. 54.
Carolus I. Andegaviæ Comes, Regno Siciliæ, & Neapolis potitus, quæ ejus proles. 134.
Caroli II. Regis Neapolitani prosapia. *ibi*.
Carolus Martellus Caroli II. Regis Neapolitani filius, Rex Hungariæ. *ibi*.
Carolus Caroli Martelli filius, Rex Hungariæ. 135.
Carolus de Pace Ludovici Principis Dyrrachini filius. 16.
Neapolitano Regno potitur. *ibi*.
Johannam I. Regnam de medio tollit. 18. 141.
Carolus Vasconum Princeps, ex fratre nepos Alphonsi I. Aragonum Regis. 84.
Suprema illius dies. *ibi*.
Carolus Roberti Regis filius, Dux Calabriæ. 137.
Coppulæ gentis fortuna qualis in Regno Neapolitano. 107.

F

Federicus Ferdinando II. Regi in Regni Neapolitano succedit. 56. 148.
Dejectus a Gallis & Aragonensibus. 57.
Varia ejus fortuna. 89.
Ferdinandus, Alphonsi I. Regis Neapolitani pater. 142.
Ab Aragonensibus Rex constitutus. 144.
Ferdinandi I. Neapolitani Regis, varia fortuna. 84.
Ejus infelicitas. 88.
Et mors angore plena. 87. 146.
Ferdinandus II. Rex Neapolis Regno spoliatus a Gallis. 52.
Illud recipit. 54.
Ejus mors. 55. 89. 147.
Ferdinandus Hispaniæ Rex Catholicus Regnum Neapolitanum cum Gallis dividit. 56.
Neapolim petit. 67.
Judæos e Regno Hispaniæ proscribit. 102.
Inquisitionis Tribunal Neapoli statuere decernit. 101.
Ferdinandus Consalvus Hispani exercitus Dux maximus. 58.
Ei adhæret Jo. Baptista Spinellus. 59.
Gallorum exercitum bis fundit. 60.
Ingratus erga Jo. Baptistam Spinellum. 62.
Dejectus a Ferdinando Catholico Aragonum Rege. 68.
Fortunæ varietas describitur a Tri-

Triſtano Caracciolo. 82.
Franciſci I. Sforiæ Mediolanenſium Ducis varia fortuna. 90.

G

GAleatius Maria Sforiia Dux Mediolani a conjuratis interfectus. 91.
Gambateſarum gens in Regno Neapolitano dejecta. 105.
Grimaldus (Conſtantinus) Regius Neapoli Conſiliarius, laudatus. 3.

H

HOnoratus Cajetanus Comes Fundanus, quæ illius fortuna. 98.

I

JAcobus de Ratta Comes Caſertæ, varia illius fortuna. 99.
Jacobus Caudola celebris militiæ dux. 100.
Innicus de Guevara Ariani Comes, Guaſtique Marchio. 106.
Inquiſitionis Sacræ Tribunal in Hiſpania. 102.
Illud Neapoli ſtatuere decernit Ferdinandus Rex Catholicus. 102.
Ob eam cauſam ſeditio ibi excitata. 102. 125. 128.
Johannæ I. Reginæ Neapolis Vita, a Triſtano Caracciolo ſcripta. 7.
Ejus nativitas, atque educatio. 8.
Andreæ Caroli Hungariæ Regis filio nubit. 11.
Tum Ludovico Principi Tarentino. 13.
Regnum ſibi ablatum recipit. 14.
Jacobo Aragonio ſeſe in conjugem tradit. 15.
Tum Ottoni Brunſvicenſi Principi. 16.
In captivitatem adducta a Carolo de Pace. 17.
E vivis ab ipſo ſublata. ibi.
Cur in Andreæ viri necem conſenſerit. 18.
Cur toties nupſerit. ibi.
Ejus virtutes & vita quales. 19. 137.
Johanna II. Regina Neapolis Ladislao fratri ſuccedit. 27.
Cum Martino V. Papa pacem ſtatuit. 29.
Coronam ab ipſo accipit. 30.
Bellum ei inlatum a Ludovico Andegavenſi. 31.
Alphonſum Aragoniæ Regem ad ſe invitat. 32.
Inter illam, & Alphonſum diſſidia. 34.
A Sforiia Attendulo e captivitatis diſcrimine liberatur. 37.
Ludovicum Andegavenſem in filium adoptat. 38.
In Serzanis Caraccioli necem conſentit. 39.
Ejus acta. 141.

Johannes Hiſpaniæ Rex. 142.
Johannes Achajæ Princeps, Caroli II. Regis Neapolitani filius. 135. 139.
Johannis Antonii Martiani, Ducis Sueſſæ, varia fortuna. 95.
Johannis Antonii Urſini Principis Tarentini, varia fortuna. 93.
Johannes Baptiſta Spinellus Cariati Comes, ejus vita a Caracciolo ſcripta. 46.
Scientiæ Legum addictus. 48.
Legatus ad Maximilianum Cæſarem. 50.
Venetos cum Ferdinando II. Rege conjungit. 53.
Federico Regi dejecto adhæret. 57.
Tum Ferdinando Conſalvo Hiſpani exercitus duci. 59.
In Hiſpaniam profectus. 62.
In odium Conſalvi incurrit. 63.
Fugit e patria, ac in Hiſpaniam redit. 65.
Cariati Comes creatus. 69.
Variæ illius legationes, & acta bellica. 71.
Veronam tuetur. 74.
Maximilianum Cæſarem adit. 77.
Tum Carolum V. Regem. 78.
Neapolim regreſſus. 80.
Cura ab eo habita filiorum. 81.

L

Ladislai Regis Neapolitani geſta. 23.
Mariam Tarentini Principis filiam uxorem ducit. 24.
Bellum ei inlatum a Ludovico Andegavenſi. 26.
Ejus poſtrema dies. 27.
Ladislaus Rex Neapolis, ejus acta. 141.
Laurentius Valla vir doctiſſimus. 110.
Leonellus Celani Comes, varia illius fortuna. 101.
Ludovicus Caroli Martelli nepos, Rex Hungariæ. 136.
Andreæ fratris necem ulciſcitur. 136.
Ludovicus Hungariæ Rex Caroli filius. 11.
Andreæ fratris necem ulturus Regnum Neapolitanum occupat. 13.
Ab eo geſta in illo Regno. 13. 18.
Ludovicus II. Dux Andegavenſis bellum Ladislao Regi Neapolis infert. 26.
Deinde Johannæ II. Reginæ. 31.
In filium ab ipſa adoptatus. 38. 43.
Ludovicus Caroli II. Regis Neapolitani filius, Epiſcopus Toloſanus, vir Sanctus. 134.
Ludovici Sforziæ Mediolanenſium Ducis turpia facinora. 91.
Qualis fortuna. ibi.

Digitized by Google

Ludovicus Princeps Tarentinus in virum electus a Johanna I. Regina Neapolis. 13.
Ejus postrema fata. 15. 137.

M

MArinus Martianus Rossani Princeps, quæ illius fortuna. 95.
Martini V. Papæ electio. 28.
Pacem cum Johanna II. Regina Neapolis statuit. 29.
Martinus Episcopus Tricaricensis. 26.

N

NEapolis sub Johanna I. Regina floret. 15. 20.
Capta, & direpta ab Alphonso Rege. 83.
Ad seditionem commota ob invehendum in illam sacræ Inquisitionis tribunal. 122. 126.
Neapolitanæ Nobilitatis defensio a Tristano Caracciolo scripta. 152.
Ejus fortitudo. 154.
Neapolitanorum Nobilium elegans educatio, & varia munera. 157.
Nicolai Comitis Campibassi fortuna. 106.

O

OTto Brunsvicensis maritus Johannæ I. Reginæ Neapolis. 16.
Fractus a Carolo de Pace, *ibi*. 137.

P

PHilippus Caroli II. Regis Neapolitani filius, Princeps Tarentinus. 135. 137.
Pulcini Comites in Regno Neapolitano deleti. 103.

R

RAimundus Ursinus Nolæ Comes, & Salerni Princeps, quæ illius fortuna. 97.
Regum mos in prœliis, alterum Regiis vestibus induentium, ut lateant. 26.
Robertus Rex Neapolis. 135.
Ejus filii. 137.
Russorum gens potens in Regno Neapolitano, quot ærumnas passa. 102.

S

SAnseverinæ gentis fortuna in Regno Neapolitano. 101. 102.
Senescallî munus quale in Regno Neapolitano. 30.
Sergiani Caraccioli Vita a Tristano Caracciolo scripta. 21.
Ejus nativitas, & educatio. 21.
Avel-

Avellini Comes constitutus. 23.
In duello victor. 25.
Regali veste præliaturus induitur. 26.
Johannæ II. Reginæ consiliis opitulatur. 27.
Pacem inter ipsam, & Martinum V. statuit. 29.
Magnus Regni Senescallus, & Dux Venusinus creatus. 30.
Exulare coactus, & revocatus. 31.
In carcerem conjectus ab Alphonso Rege. 34.
Et libertati redditus. 37.
Quousque ejus potentia creverit. 38.
In ejus necem Regina consentit. 39.
A conjuratis trucidatus. 42.
Ejus mores. 43.
Sforzia Attendulus ad Johannam II. Reginam Neapolis liberandam accitus. 35.
Ejus victoria de exercitu Alphonsi Regis. 36.
Pater Franciscus I. Mediolanensium Ducis. 37.
Spinella gens nobilis inter familias Neapolitanas. 41.
Vita Joannis Baptistæ Spinelli. 48.

T

THomæ Caraccioli Marchionis fortuna in Regno Neapolitano. 104.
Tristani Caraccioli Opuscula Historica primum edita. 1.
Hujus ætas & vita qualis. 2. & 3.
Quæ ipse scripta reliquerit. 3.
Tyrellus Caracciolus Archiep. Consentinus. 23.

V

VEnetæ Reipublicæ fortuna qualis. 111.
Quæ palla fuerit a Ludovico XII. Rege Francorum 115.
Veneti adversus Carolum VIII. Gallorum Regem felicitati. 51.
Eumdem in Gallias revertentem fundunt. 54.
Eorum bellum cum Ludovico XII. Gallorum Rege. 69. 72.
Verona a Gallis frustra obsessa. 74.
Vitalis Ursеolus Episcopus Torcellanus. 56.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

image
not
available

Digitized by Google